

DOCTRINA  
NON  
UNIVERSITATIS  
LOVANIENSIS,  
S E D  
QUORUNDAM  
PRIVATORUM.

Seu Gummari Huygens , Francisci van Vianen , & similium , conformis Doctrinæ in P. Gabriëlis Proscriptæ , & repugnans Doctrinæ S. Caroli Borromæi , Catechismo Romano , Patribus , Principiis Logicæ , & Theologiæ Scholasticæ .

S E U

*Expositio Carnificinae conscientiarum , injustæ rejec-*  
*tisniis Doctorum & Probatorum Virorum ab ordinibus , excipiendis confessionibus , Officiis Ecclesiasticis , &c. Authore Reynero ab Andringa olim Theologiæ Moralis Professore.*



M O G U N T I A E ,  
Typis , FRANCISCI BOURGEAT . 1681 .

Cum Approbatione .

# P RÆFATI O.



U m etenim in hisce partibus circumferri viderem, & venditari libellum, cui titulus: *Methodus remittendi & retinendi peccata*ta Authore D. Gummaro Huygens, etiam curiositate & ejus laudibus duc-tus eamdem percurri, sed non sine stupore Novitatis, etiam laxitatis, qualem in nullis Authoribus vel Casuistis, quos dum Theologiae Morali descendæ, & postea tradendæ evolveram, animadverti. Cæpi ergò anno-tare aliqua ipsis Novitatibus opponenda: sed me prævenerunt, qui *Responsiones breves, Praxim solidam*, & alia ediderunt. Item Theses, qua-rum exemplaria aliqua ab uno Academiae Lovaniensis studio, & diligentissimum, quæ prodibant, Collectore, ad suas partes revertente sunt delata & mihi communica-ta. Interim visâ correctione Libri Patris Ga-briëlis, & collatione factâ doctrinæ Gum-mari cum proscriptis, & erasis ex dicto Li-bro sententiis, decrevi propositum exequi, & quæ collegoram, evulgare, sed execu-tionem suspendit epistola Lovanio iterum ac-cepta, cuius tenor sequitur.

De belydenisse, daer V. E. soo nieuwsgie-  
rich naer vraecht, heeft hy hier int' open-  
baer voor de geheele Universitydt met  
groote stichtinge gedaen essen hondert Jaer  
geleden, sy luydt aldus.

Univ. Bibl.  
München

## P R A E F A T I O.

Ick Michaël du Bay Cancellier van de Universitydt van Loven, bekenne, ende verklare, dat ick door veelderhande t'saemenspraeken, en vergaderingen, met den Eerw. P. Heer Franciscus Toletus Predicant van syn Heylighyd, ende hier toe besonderlyck gesonden, over versheyde sententien, en propositionen nu overlanx van onsen Alderhylichsten Heer Pius den V. van Saliger, gedachtenisse den 1. Octobr. in't jaer 1567. Ende lefmael van Gregorius den XIII. Tegenwoordigen Paus den 29. Ian. 1579. Wederom verdoemt, ende verworpen, soo bewecht, en daer toe gebrachte ben, dat ick t'cenmael seker houdt, dat de verdoeminge, en de verstootinge van alle dese sententien, wettelyck, ende met recht, en wel verdient, voorgaende een ryp oordeel, ende alderneerstichste ondersoek, gedaen, ende vast gestelt is. Ick verklare daerenboven, dat ick seer veele van dese sententien, in sommige Boxxens, de Welcke ick ( al voor dat dese verdoeminge vanden Apostolyken Stoel wytegekomen was ) geschreven, en in het licht gebracht hadde, geleert, en voorgestaen hebbe, oock in den sin, in den Welcken sy verdoemt worden. Ten laetsten verklare ick, dat ick dese alle nu verdoere, en te vreden ben met de verdoeminge gedaen van den Heyligen Stoel, ende dat ick voortaen niet een meer wil leeren, bevestigen, ofte voorstaen. Gedaen den 24. dach van Mey in tjaer 1580.

Michaël du Bay.

Dit

## P R A E F A T I O.

Dit Jubile van de eerste 100. Jaere viert de Universitydt met het op bouwen van de Hal: in de welcke desen gheleerden Man, soo ootmoedelyck, en Christelyck syn grove Faelen voor den Eerw. P. Franc. Toletus Jesuit heeft af gesworen. Godt verleene ons hier meer sulcke mannelijke bekeeringen. Siet de Fasti Lovan. Fol. 112. over desen Man. Wat de groote Figuristen in het Nieuw Collegie aengaet, dat is onwaerachtich, datmen aen die kinders *het Nieuw Testament* uytleydt, maer sy plachten het te doen. Het syn de Syntaxiaenen, die sy het nu doen koopen. Dat de sieken aengaet, men vreeft dat men *Heer van VVerm* heeft in de eeuwicheydt syn sal, wiens prebende sonder twyffel sal gegeven worden aen een vande Vrienden van Vianen, die andere sollicitanten als onbequaem, of te jonck sal soeken te verworpen. Den Eccles. cap. 9. En het spreeckwoort Prov. 22. Vers. 6. can niet missen. Myn Heer Gummarus Huygens is myne getuygen: desen Doctor heeft sync galle altemael uyt-gepogen in Vico den 20. Décem, in syn *Quæstionibus quodlibeticis*: al waer het vat gethoont heeft, wat het in heeft. Hy viel tegen de Geestelyke, en Casuisten uyt voor al het volck, dat noch *Nero* met alle de Tyrannen, noch *Calvinus* met alle de Kettters t'saemen en hadden (naer syn seggen) soo veel schaede aen de Heylige Kercke gedaen,

## P R A E F A T I O.

daen, als de Casuisten. Dominicus Snellaerts als dan presiderende gaf hem gelyck voor al het volck, seggende, dat het waer was: en dan pronckten hy desen Doctoor soo op met syn eygen lofdichten, dat hy daer self roodt van wert; daer naer Canonizeerde hy synen *Methodus remittendi, & retinendi peccata* met soo veel prysen, approbatien, en geluckwenschingen, of hy een Decreet van den Paus voor desen Boeck gehadt hadde: want sonder dit, hoe soude eenen Professeur vande Philosophie int openbaer, soo verwaent, derven een Doctoor in de Godthydt voor al het volck ten Thoon stellen? Want Huygens soo lanck als hy, en synen Boeck gepresen wierden, hooch verheven staen bleef. Voorts soo raeerde, en blixemde Snellaerts met sulcke gewelt op de Tegenpartye van myn Heer Huygens, en op de andere Geestelyke, die hy voor syn vyanden hout, al of hysc met synen Blixem, en Donder-slagen hadde willen verpietten. O liefde! Sync oogen scimmerden soo van al desen donder, en Blixem dat hy de voorgenoemde Geestelyke, en Casuisten in syne phantasie veranderde in quakende vorschen. Want hy, gelyck eenen blinden, luy uyt schreuden voor alle die treffelyke Mannen, en jonge Philosophen: *Dat de Kickvorsen, ende Puyen op houden van quacken, als den Hemel Dondert, en dat sy naer hun moerasch hollen verkrypen, als Wanneer dat*

Roomers

## P R A E F A T I O.

Roomen voor V. E. spreeckt. Dit seggende sagh hy *Gummarus* aen, die tegen hem over, verheven boven de tochoorders op eenen anderen Stoel stont. Met dit puye complement sont desen kloecken Campioen syn tochoorders walgende en kout, en onsen Doctoor van de Godthydt Gummarus triumphant uyt het vorssegevecht naer huys toe. O victorie! Sulcke exercitien, en ceremonien leeren V. E. Patriotten onder den Professeur van den Valck. Bidt Godt dat hy dien mont wilt snoeren, die desen soo ongewassen, tegen de gesalfde des Heeren heeft opengedaen, en vaert wel. Uyt Loven den 26. December 1680.

Eerwerdighen, &c.

V. E. dienstwillighen, &c.

Receptâ hâc Epistolâ, statim consului amicum, cui cum insigni Romano Theologo antè annos viginti in hisce partibus nato, communicatio est, ut ab eo de approbatione *Methodi*, & approbationis formâ exquireret. Respondit ille Epistolâ fusiōri, cuius hæc Summa.

Approbationum multæ sunt species. Tres invenies in Canone *Sartorius*, distinctione 16. Quarta species, cum Liber in Sacra Congregatione discussus, etiam sub ejus approbatione seu consensu scripto dato imprimi per-

## P R Ä F A T I O.

permittitur. Quinta , dum utraque parte informante coram eādem Sacrā Congregatione immūnis evadit à Censurā. Sexta , dum non est coram Sacrā Congregatione discussus, sed ab uno vel duobus Censoribus, seu Qualificatoribus approbatus , imprimitur de consensu Magistri Sacri Palatii. Septima, dum Qualificatore , seu Censore declarante, se nihil invenire in eo damnatum , transfit, absque ulteriori examine , liber immunis à Censurā. Huic Epistolæ junxit amplum Catalogum Librorum hisce modis approbatorum : sub sextā specie referens inter plures alios, Librum correctum P. Gabriēlis ab uno ex Qualificatoribus approbatum quidem , sed permissionem à Reverendissimo Magistro Sacri Palatii dicit subreptitiè obtentam : ideoque ad speciem septimam pertinere , jamque acriter illum impugnari afferit. Sub septimā specie collocavit cum aliis *Methodum* Gunnari , addens ab illo ipso examinatam , qui dictam correctionem approbavit : hactenùs autem Magistrum S. Palatii impressioni non consensisse : sed summas parari instantias, ut consentiat. Cæterū nec quarta approbatio impedit, quo minus in pluribus possit sentiri contrarium ejus, quod in ejusmodi Libro continetur. Imò nec adstringimur ad tenenda omnia dicta alicujus è Patribus , qui in dicto Canone *Sacrosancta recipiuntur a Romano Concilio sub Gelasio*; multò minus impe-

## P R Ä F A T I O.

impediunt , inquit , quinta , sexta , & septima approbatio.

Exponatur igitur intrepidiè omne id, quod in *Methodo* D. Huygens creditur veritati non consonare : Nam & hic contradicere illi in multis incipiunt , cum anteà vix notus vel auditus esset libellus iste. Itis ego à timore: offensionis S. Sedis liberatus , opusculum revidi , aliqua triumphum Domini Quolibetarum concernentia addidi : uti etiam in titulo ratione alterius Epistolæ, quā narratur ab audiendis confessionibus , à fuscipendiis Ordinibus , ab Officiis Ecclesiasticis arceri omnes , qui in doctrinam Methodi, aliasque Novitates non jurarunt;jamque hāc die vige- simā martii finem imposueram , cum super- venit alia Thesis Doctoris van Vianen inclusa in Epistolā , cuius hic est tenor.

Eerw: &c.

Ick ben bly , dat de *Scrupuli van Cornelis Ze- gers* tegen P: Egidius Gabrieles gecorrigeden boeck V E: soo wel aen staen; ick hebbe al meer soo van H:mannen hooren spreken: defen scrupuleusen is soo gekokert ; dat hy veel wye manjen scrupuleus maeckt. Wat mijn Heer Gunnarus Huygens *Methodus* aengaet, tot noch toe hebbe ick my laten voorstaen , dat de leeringe tegen defen *Methodus* door een Decreet van den Paus , oft wel vande H: Congregatie was verworpen, en den *Methodus* geaprobeeert op de maniere vanden Roomscen

\* \*

Catechismus,

## P.RÆFATIÖ.

*Cathecismus*, of gelijck de leere van den H: *Augustinus*. Maer mijn Heer *Franciscus van Vianen* Thesis van desen dach, die ick daerom by stelle, luyt heel anders; dit sijn dan sijne woorden: *Concl. 3. in't beginsel*: *Huius Sacramenti minister est solus sacerdos, de cuius officio S. Caroli Borromæi vestigiis inherens tam solide differit Methodus remittendi, & retinendi peccata, ut iussu S.S.D: nostri Rome examinata ab omni censurâ immunis iudicata fuerit.* Den dienaer van dit Sacrament (segft hy) is den Priester alleen, van diens plicht, involgende de voetstappen vanden H. *Carolus Borromæus*; soo bestandich handelt den Boeck genaemt: De manire van de sonden te vergeven, en op te houden: *Dat hy door het bevel van onsen Alderheylichsten Heer te Roomen gexamineert sijnde, van alle censure vry geoordeelt is.* Wel aen dan, hy is niet gestraft of voor soodanich veroordeelt, dat is den alderschoonsten lof, die Vianen sijnen alderbesten patroon hem kan by setten: dat schilt veer van geapprobeert te sijn. Nu hoe wel, of om better te seggen, hoe qualijck, dat hy den sin van den H: *Carolus Borromæus* getroffen heeft, dat kan V. E. taftelijck vinden in het Boexken: *Aliquot propositiones*; het thoont claelijck, dat sijn leeringe, van des H: *Carolus Borromæi* verschilt, gelijck den dach vanden nacht. Daerom houde ick 't voor een fabbel en lauter bedroch, al watse hier onder, ende voor malkanderen op den næm van Roomen uyt stroeyen; dat leert my St. Jans Evan-

## PÆRFATIÖ.

*Evangelie van sulcke Nieuw-Maristen cap. 5. vers. 44. hoe mocht ghy lieden ghelooven, die glorie van malkanderen ontfangt, ende glorie, die alleen van Godt is, niet en soect?* Is het de H. Congregatie, die desen Boeck vergelyckt by de Leere vanden H. *Carolus Borromæus*? Sekerenen: want Vianen, die de minsten lof ænslact, en soude desen Roem niet verswegen hebben. Ende wat Théologant van Roomen sal eenen Boeck soo dickwils overtuicht van valshydt, en quaede leeringe, door *Caroli Reymakers* in syn *Responso brevis*, door Pater à Burgundia in syn *Praxis Solida*, door myn Heer *Du Bois* in syn *Apologia*, door het goudt Boexken: *Aliquot propositiones*, &c. derven approberen, ten ware een persoon met de selve leeringe van den Methodus besmet, oft door andere listen en laegen voorcomen? Maer hier vintmen wel Mannen, die desen Boeck in den Canon van den Paus Gelasius geirne souden stellen, ende by desen Boeck zweiten, die door haer uytwerckselen genoch kenbaer syn, sonder datse genoemt worden. Sy hebben het Nieuw Collegie soo wyt gebracht, dat sy de Studenten van de lege Scholen op straffe verbinden alleen by hun, ende niet by de Geestelycke te bichten, om soo te beter die teere Jonckheyt met haer leerlingen te kunnen infecteren. Jaen myn Heer *Huygens* heeft syn selven over syn ondersaeten Bicht-Vader gestelt, dwinght de selve

# PRÆFATI O:

selve met het *Testimonium de Moribus*, het welck hun dickenwils afgevraecht wort, als sy naer de Orders, Beneficien, oft andere Geestelyke bedieningē staen. Het meeste deel der Studēten, uytgenomen de Juristen en leuge Scholē, leven hier op Beursen: daerom moeten sy wel naer de Presidente pypen dansen, of sy willen, of niet, of het gaet met hun, gelyck met den blindeman *Ian.* 9. Maer Godt lof, daer syn nu al veel Collegien versien van Presidents, die dese manier van doen verfoyen ende weynich estimeren den Methodus. Loven besit meer als dertich Collegien, die door de Beursiers gefondeert syn, andersinten soumen hier soo veel Theologanten niet vinden; en verwondert V. E. niet meer, dat dese met hunne Meesters allenskens eene koorde trekken: Huygens heeft dat prov: 22. vers: 6. oock wel bemerckt: *een jongelinck by sijnen wech, oock als hyoudt geworden is, en sal hy daer af niet gaen: daerom bidde ick U.E: en laet niet achter Godt Almachtich vierich te bidden voor de Lovense jonckheydt, en voor den Weltstandt der H: Kercke. Waer mede ick oock eyndigende, U.E: Gode bevele.* Uyt Loven den 15. Meert 1681.

*Indubie alaborabit Gummarus artibus omnibus, ut Libellus hic tanquam famosus prohibeatur; sed si famosam censem calumniarum publicè per suam Methodum illatarum propulsione: quid sentire debet de suā Methodo? Iudicet aequus Lector.*

C A-

# CAPUT I:

*De antiquâ Ecclesiæ praxi, & Ordine  
inter absolutionem & satisfactionem.*



Rimò: Gummarus in Methodo Pag. 84. 131. 149. *in prefatione apologeticâ propè finem, in Apologia* Pag. 9. & sequentibus, tamquam certum & indubitatum tradit primis duodecim sâculis dilatam fuisse confitemebus absolutionem, quoysque penitentia (qua sepe ad multos annos imponebatur) eſer adimplata. Contradicit Romanus Catechismus, in quo parte, 2. cap. 5. legitur.

*Antiquissimo Ecclesiæ vsu receptum est, vt cum peccantibus a peccatis solvuntur, pena aliqua eis irrogatur, cuius pena solutio, satisfactio vocari consuevit. Vides hic absolutionem fuisse impertitam, cum imponeretur penitentia, nondum subsecuto eius implemento? & hoc ipsum, quod hodie practicat Ecclesia, fuisse antiquissimo vsu receptum?*

Secundò: *in eadem prefatione apologeticâ propè finem, ex suo falso principio docet pro peccato pverè interno v. g. si quis concupisset fornicari, peccatum debuisse per Biennium pauciore, & tandem suspensam fuisse absolutionem.*

Tertiò: *hinc in Racemationibus hebdomadâ 1. pag. 8. ipse, (seu eius Patroni Racemationum authores) docet, quod si quis quolibet*

A

Biennio

2

Biennio semel in simile, vel aliud mera cogitationis, & purè internum in: disset, non fuisset absolutus nisi in extremo vita tempore.

Quartò: indè tradit vltoriū hebdomadā dictā 1. pag. 10. antiquitū non fuisse suscepsum crebr̄ pœnitentia sacramentum.

Quintò: hebdomadā 2. pag. 6. censet adeò necfariā fuisse adimpletionē præviam pœnitentiæ, vt absolutio priùs imperita, damnata sit à Concilio Toletano can: ii. tamquam execrabilis.

An credis ista cum Romanī Catechismi doctrinā convenire? vel cum antiquā Ecclesiæ praxi, secundūm quam quotidie communicabant fideles? sic enim legitur in Concilio Antiocheno sub Iulio 1:

*Omnes, qui ingrediuntur Ecclesiam Dei, & Scripturas Sacras audiunt, nec communicant in oratione cum populo, sed pro qualam intemperantiā se à perceptione Sanctæ Eucharistia avertunt, hi de Ecclesiâ removeantur, quandiu per Confessionem, pœnitentia fructus ostendant, & precibus indulgentiam consequantur.*

Hanc praxim in vslum revocari optat Tridentina dicens sess. 22. cap. 6.

*Oparet quidem Sacro sancta Synodus, vt in singulis Missis fideles adstantes, non solum spirituali affectu, sed Sacramentali etiam Eucharistia percipi ne communicarent, quo ad eos Sanctissimi huius Sacrificij fructus yberior proveniret.*

Cumque frequentia ista percipiendæ Eucharistie notabiliter deficeret, Sanctus Augustinus

3

gustinus consuluit, ut saltem diebus dominicis Communicarent; sic enim S. Carolus in Instructionibus Confessariorum scribit:

*Admoneat Confessariusibi subditos de frequenti Confessione, & communione, & paulatim eos, secundum D. Augustini Consilium in Sanctam eam consuetudinem adducat, vt diebus Dominicis communicent.*

Antea autem S. Ambrosius lib. 4. de Sacram. cap. vlt. dixerat: *Si quotiescumque effunditur Sanguis Christi, in remissionem peccatorum effunditur, deheo illum semper accipere, vt semper mibi peccata dimittantur. Qui semper pecco, semper debo habere medicinam.*

Credis, priscis illis temporibus omnes Christi fideles ita fuisse ab omni mortali peccato, etiam merae cogitationis, liberos, vt ne quidem per Biennium aut Triennium in illud laberentur? certè non ita credidit Beatus Petrus, qui teste Clemente 1. Epistola' i. instruebat, actus vita omni horâ custodire, cogitationes malas cordi suo advenientes mox ad Christum allidere, & Sacerdotibus Dei manifestare.

Si hæc de solis venialibus intellexeris, iam evertitur alia doctrina Discipulorum Gummari, afferentium Confessionem venialium olim non fuisse in vsu: pro vt afferuit Macarius Havermans in examine Pentalogi pag. 379. Deinde ex Epistolis Pauli ad Romanos, Corinthios, Galatas &c. constat ipsis temporibus fideles plurimos in mortalia incidisse: quibus propter ea, antequam communicarent, præci-

4

pit, ut confiteantur, non autem ut septem, decem aut pluribus annis poenitentiam præviè adimpleant, sic enim scribit in I. ad Corinth. cap. 11. v. 27. & 28. *Quicumque manducaverit panem, velibet calicem Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini. Habet hic peccati mortalis reum; qui propterea reus erit Corporis & Sanguinis Domini, si communicet.* Audi, quid ab isto Paulus requirat, ut non sit sacrilega Communio: probet, inquit, se ipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat.

*Quid sit illa probatio, docet Tridentinum* sess. 13. de Eucharistiâ cap 7. *Communicare volenti revocandum est in memoriam eius preceptum: probet seipsum homo. Ecclesiastica autem consuetudo declarat eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscientius mortalis peccati, quantumvis sibi contritus videatur, absque premissa Sacramentali Confessione ad Sacram Eucharistiam accedere debeat.*

Denique fallissimam esse doctrinam illam de dilata olim Sacramentali absolutione, donec peracta esset pœnitentia seu satisfactio, evidentissimè probavit D. Nicolaus du Bois in Apologiâ contrâ Gummarum, seu Synodum Racematorum, ostendendo per Canones Sæculi secundi usque ad duodecimum gerentibus pœnitentiam publicam (quæ non nisi ob graviora delicata iniungebatur) datam fuisse Sacram Eucharistiam, pendente pœnitentia cursu.

Et Catechismus Romanus dicto cap. 5. docet nō aliud ab eiusmodi gravibus & publicis pecca-

5

peccatoribus fuisse prærequisitum ad absolutionem Sacramentalem, quam quod publicam pœnitentiam susciperent; accipe eius verba.

*Sapientissime illud ab Ecclesiâ observatum est: ut cum ab aliquo publicè flagitium commissu esset, publica etiam pœnitentia ei indicaretur: ut ceteri timore perterriti, deinceps peccata diligentius vitarent, quod erit in occultis criminibus, que graviora essent, interdum fieri solitum erat.*

*Sed ut diximus, in publicis hoc in perpetuum fuit, ut qui ea communiserant, antequam publicam pœnitentiam suscepissent, non absolverentur.*

Dicit Catechismus: suscepissent, non dicit: implevissent. quid ad Apologiam respondit Gummarus? nihil. Respondebitne? non poterit. Cur ergo non corrigit errores? nescio. Atqui credit se Augustini discipulum: transcat. Augustinus autem retractavit. Concedo totum; quid inde infers?

## CAPUT II.

*Proponuntur, & examinantur probationes & sequelæ DD. Gummari.*

**S**extò: in dictâ præfatione Apologeticâ Spaulò antè finem docet, dictas multorum annorū pœnitentias fuisse impositas, non tantum ad satisfactionem, sed etiam in præparationem ad conversionem, sive ut ad conversionem

Versionem ritè disponerentur. Si hoc ita est ; ergo necessariò debuerunt pænitentiae illæ præcedere absolutionem. Et hoc docuit Petrus D. Osma damnatus in Concilio Complutensi sub Archi-Episcopo Toletano , & postmodum à Sixto 4. anno 1479. per Bullam, quæ incipit: *Licet ea.* Docuit idem Marcus Antonius de Dominis Apostata sub initium huius sæculi L. 5. de Republ: cap. 7.n.29. 30. 36. 54. & cap. 12. n. 39.

Marcum Antonium fecutus est Arnaldus de frequenti Communione, vbi parte secundâ à cap. 7. usque ad 19. ferè dicti Apostatae ratiunculas , & Patrum, ac Canonum corruptas , aut mutilatas exhibuit sententias. Ex hbc Arnaldi libro transcripsit Pater Gabrielis , quidquid habet in suis *Speciminiibus Moralis Christianæ* à pag. 123. usque ad pag: 197. solummodo translatis in Latinum , & in compendium redactis Gallici idiomatici sententiis. Si dubitas, conferas, quæso , Libri præscripti paginas 123. 124. 125. 126. cum eiusdem Arnaldi Partis secundæ cap. 8. Paginas 127. usque ad 145. cum cap. 11. 13. 15. 33. Paginas 145. usque ad 154. cum cap. 15. Paginas 154. usque ad 163. cum cap. 18. 20. 21. 24. 25. Paginas 165. usque ad 180. cum cap. 33. usque ad 139. Paginas 180. usque ad 197. cum cap. 12. 39. 40. 45. Cætera , quæ in dictis *Speciminiibus* habet , similiter transcripsit ex aliis, præcipue , Gallis. Sed contra.

7  
Si dictæ multorum annorum pænitentia fuerunt à Canonibus impositæ vt ad conversionem ritè disponerentur pænitentes , ergo etiam hodie illæ vel similes debent præmitti, vt quis ritè ad conversionem pro obtainenda absolutione necessariam , disponatur. Quia hodie non aliter , quam à mille annis convertuntur peccatores, vt per hoc vult Gummarus.

Septimò etenim, pag. 149. scribit: *Quorsum Ecclesia tam diurnam, totque annorum pænitentiam peccatoribus inunxit , si veram ad Deum conversionem tam repente , & pasim peragi , aut postea per accendam credidisse?* Sed bene est , quod per numeram correctionem Libri Patris Gabrielis etiam hæc doctrina sit proscripta: cum enim in Damnato pag. 123. 124. 125. scripsisset: *Preparatio necessaria ad Sacramentum pænitentiae iuxta Innocentium , Leonem , Gregorium : & ex mutilatis ( post Arnaldum dicto cap. 8. & Marcum Antonium dicto cap. 7. & 12.) prædictorum Patrum sententiis, docuisset præparationem illam in eo consistere , quod pænitentia præcedat absolutionem , sublata est vox : Necessaria.* In Catechismo Romano dicto cap. 5. n. 46. & 47. legitur etiam: *vt concedamus contritione peccata deleri , quis ignorat illam adeo vehementer , & acrem esse opertere , vt doloris acerbitas , cum scelerum magnitudine aquari , conferrique possit & quoniam pauci admodum ad hunc gradum pervenirent , siebat etiam vt à paucissimis hac via peccatorum yenia speranda esset.* Quare necesse fuit,

ut Clementissimus Dominus fauiliori ratione , communi hominum saluti conjuleret. Quod quidem admirabilis consilio effecit , cum Claves regni caelstis Ecclesie tradidit. Etenim ex fidei Catholica Doctrina , omnibus credendum , & constanter affirmandum est : si quis ita animo affectus sit , ut peccata admissa doleat , simulque in posterum non peccare consiluat : et si eiusmodi dolore non afficiatur , qui ad imperandam veniam satis esse posse : ei tamen , cum peccata sacerdoti ritè confessus fuerit , vi Clavium sceleris omnia remitti , ac condonari : ut Meritò à Santissimis Viris Patribus nostris celebratum sit , Ecclesia Clavibus aditum in Calum aperiri.

Hoc non Credit , nec affirmat Gummarius: sed semper ( excepto articulo extremæ necessitatis , & uno alio casu , de quo infra ) vult , post Confessionem præmitti multa opera pænitentialia , multo labore , multo tempore. Videamus , quibus probet antè dicta.

Ottavò : ab probationem adducit in dictâ Prafatione Apologeticâ Morinum , nullo Tomo eius , nullo Libro citato , dicitque: ab illo Eruditissimo viro doceri , præxim illam præmittendi satisfactionem absolvatur amēsse in Occidente per tredecim ſacula. Miror hic Gummari temeritatem. Morinus L. 9. de administratione Sacramenti Panitentiae , à cap. 1. vsque ad 14. docet opusitum , nempe in Occidental Ecclesiâ hodiernum morem absolvendi antè actam pænitentiam observatum semper fuisse , præterquam

quam in gravioribus sceleribus ; & , si super his data fuisse absolutio antè actam poenitentiam , fuisse validam.

Nonò : ait ibidem Gummarius. Præxim ilam differendi absolutionem adhuc obſervari in Orientali Ecclesiâ: Et huius rei testem nominat Morinum , qui diſertè habet contrarium in dicto opere lib. 6. cap. 24. vbi docet à tempore Nectarii Patriarchæ Constantinopolitani , qui præcessit Chrysostomum ( hoc est , à mille ducentis , & septuaginta circiter annis ) etiam graviorum scelerum reis , fuisse absolutionem datam statim à peractâ confessione , eamque præxim mox absolvendi , etiam graviorum scelerum reos , vsque ad hæc tempora obſervatam fuisse , & obſervari : quod poste à ad calcem operis probat ex variorum Græcorum Libris & authentico testimonio ; aedas , quæſo , Morinum.

Decimò : pro illâ , quam afferit , Occidentalis Ecclesiæ praxi , allegat in dictâ Prafatione Apologeticâ Canonem 11. Concilii particularis , seu Toletan tertii , idque repetit , in Apologiâ pag. 9. & sequentibus. In eo verò Canone dicitur : Quoniam comperimus per quasdam Hispaniarum Ecclesiâs non secundum Canones , sed fadisimè pro suis peccatis homines agere panitentiam ut quoties peccare libuerit , toties à Presbyteris se reconciliari postulent ; Ideò pro coercendâ tam execribili presumptione , id à Concilio iubetur , ut secundum formam antiquorum Canonum detur Penitentia : hoc est .

ut prius eum ; quem facti sui penitentis à communione suspensum faciat inter reliquos penitentes ad manus impositionem crebro recurrere : expleto autem satisfactionis tempore , sicut Sacerdotis contemplatio probaverit , eum communioni restituat ; si vero , qui ad propria vita , vel infra penitentia tempus , vel post reconciliationem labuntur , secundum priorum Canonum severitatem puniantur .

Canonem istum anteā allegaverat tertio Marcus Antonius dicto cap. 7: eundem citat P. Gabrielis in damnato Libro pag. 18 i. Sed quis Canonista non rideat eiusmodi citationem ; & Marci Antonii , Gummarique interpretationem ? Accipe pauca ex multis , quae dudum scripsit DD: Nicolaus du Bois in Apologiā adversus Gummarum & Racematoriam eius Synodum . In dictā Synodo Toletanā immediate post verba iam descripta sequitur : Quicunque ab Episcopo , vel Presbytero penitentiam postulat , id ante omnia Episcopus observet , vel Presbyter , vt si vir est , prius eum condeat ; si vero mulier sacerit , non accipiat penitentiam , nisi prius mutet habitum .

Agit ergò Concilium istud de publico pænitente ; publica pænitentia invitis non imponebatur nisi ob publica , graviaque scelerata , quæ Ecclesiæ pariebant scandalum . Ideoque in Concilio Teletano i. Cap. 2. dicunt Toletani Patres : Panitentem dicimus eum , qui propter homicidium , aliaque gravissima sub cinere & ciliicio &c. Et ibidem additur : Neminem de penitentibus

tibus admitti ad Clerum . Nichilominus istum Canonem Toletanum totius Ecclesiæ legem fuisse censem Gummarus tam in Apologiā pag. 9: & sequentibus , quam in Praefatione Apologetica , quam denique in suā Racematoria Synodo hebdomadā i. pag. 4. & seqq.

Cumque in dicto Concilio Toletano tertio pænitentibus viris iniungatur barbae rasio (quæ erat infamiae nota , vti probat Eximius Lupus in Scotis ad Concilium Nicenum primum ) mulieribus autem vestis mutatio , & Gummarus in dicta Praefatione Apologetica etiā ad eos , qui peccata merē interna commiserant , extendat dictum Canonem ii. lepidè intulit Dominus du Bois : rem gratam fecerit sartoribus Gummarus , si quiescumque peccati mortalis mulier ea confitetur , totes mutanda vestis ; ingratam conscribas , si totes à Confessarii tondendi viri .

Respondit Gummarus in suā Synodo hebdomadā i. pag. 7: vestis mutationem precepit fuisse , etiam seposito foro externo , nemo , qui antiquos Canones , Panitentialia , Pontificalia , Ritualia vel salutavit , ignorat . Erras Gummarus , nec haecenus Canonem , Pontificale , Cæremoniale &c. exhibuit , nec exhibebis , quo dogmata tua vel apparenter probes .

Sed missis erroribus , quos , yltrà quadraginta , in paucis pagellis suæ Synodi commisit Gummarus , plenissimè à Domino du Bois in Apologiā convictis , ad Methodum , eiusque Apologiam revertor . In hac pag. 17. & 18. vt probet ,

probet, quod, qui olim ad pænitentiam admittebantur, non illico, seu ante actam pænitentiam non absolverentur, ait

Duodecimò: nemo dixerit, quod Diaconi Sacramentalem absolutionem vlli vñquam impenderint, quia quinque necessitate ingruente; at de Diaconis constat, quod ipsi quandoque, postulante necessitate, peccatores ad pænitentiam admiserint.

Vnde id constat isti Eximio?ex Cypriano, inquit Epist. 13. scribente: si Presbyter repetitus non fuerit, & vrgere exitus coperit, apud Diaconum quoque delicti sui exomologesim facere possunt, vt manu, eis in Pænitentiam imposita, veniant ad Dominum cum pace, quam dare Martyres eis desideraverunt.

De Idololatriis & similibus publicis peccatoribus agit Cyprianus, qui eti publicam pænitentiam agerent, nec plenæ fidelium societati restituebantur, nec ad indulgentias admittebantur, nisi Ecclesiæ per publicam pænitentiam satisfecissent, aut nisi pro ipsis intercessissent illi, qui ad Martyrium ducebantur. Vide Eximii Lupi Scoliorum Tomum quintum.

Quia autem sœpè contingebat, vt non adesset Episcopus, vel Sacerdos, potestatem restituendi istos pænitentes plenæ fidelium communioni, & à pænis liberandi, delegabant Episcopi Diacono pro casu necessitatibus. Hoc docet Concilium Eliberitanum Can. 32. sic quoque intelligunt Cyprianum Viri

Antiquitatis peritissimi Baronius ad Annum Christi 56. Mendoza ad dictum Canonem 32. Pamelius in notis ad dictam Epist. 13. nempe quod imponere manum in pænitentiam sit à pænis absolvere. Dabatur enim publicè pænitentibus absolutio duplex, vna à peccati reatu, dum confitebantur: altera à pænis; hoc docet in terminis S. Bonifacii Germanorum Apostoli Canon à Zacharia Pontifice confirmatus Anno 742. quem refert Beatus Isaac Tit. 1. Cap. 11. & sic habet.

Non est mirandum, si absolutio peccatorum per manus impositionem precibus sit Sacerdotum, cum Dominus in veteri Lege super caput hostie, manum Sacerdotis præcepit imponi. Etenim sicut tunc per illam hostiam, ita nunc invocatione Sancti Spiritus, qui est remissio peccatorum, per manus Episcoporum, vel eorum auctoritate, reliquorum Sacerdotum, impositionem, vel supplicationibus eorum remittuntur peccata. Nam quando Dominus Lazarum suscitavit, ait suis Discipulis: tollite lapidem: subauditur, vt mortuus resurgat, dans exemplum vt, sicut ipsis manibus tollunt lapidem, vt mortuus surgat, ita & ipsis, & successores eorum manus pænitentibus imponant, & per impositionem manuum, suis precibus mortuum de se pulchro, id est, peccatorem de vitiis surgere & relevare faciant. Et sicut illi Lazarum inflitis, id est, funibus colligatum, iubente Domino, soluum, qui ait: soluite eum, & finite abire: ita isti eorum supplicationibus, auxiliante Domino & comitante Spiritu Sancto, qui in his semper operatur, per manus impositionem,

14  
nem, peccatorum soluant vincula; eosque tempore à sanctis Paribus constituto sacrâ Eucharistiâ communient, & absolutos ire permittant.

Ex dicto S. Bonifacii Canone & aliis plurimis colligunt Doctores Catholici manuum impositionem in Canonibus pænitentiaibus significare absolutionem, ideoque quod in canone Toletano, quo tantoperè nititur Gummatus, dicitur quod pænitentes illi (de quibus agit Concilium) debeant crebro ad manuum impositionem recurrere pendente penitentiâ, id est: interim saepius ad pænitentia Sacramentum recurrent, & vt habet alias Canon S. Bonifacii apud B. Isaac tit: 1. omnibus quatuor temporibus, & profectis Sandorum, quibus ieiunatur.

Sed iterum hic obstrepit Gummatus in suâ Racematoriâ Synodo heb: 1. pag: 10. & ait.

Decimò-tertiò: illa interpretatio, quâ dicitur, quod in Canonibus pænitentialibus manuum impositio significet absolutionem Sacramentalē, est glossa tachinno excienda. Ita quoque Marcus Antonius dicto cap: 7. propè finem.

Sed non itâ doctissimi Canonum indagatores Garcias, Loaisa, Coriolanus, Benius ad Canonem 12. Concili Toletani XI: qui directe affirmant, istâ loquendi formulâ significari in dictis Canonibus pænitentia Sacramentum, intantum, vt ex frequenti istorum terminorum vnu, dubitatum sit à Scolasticis, an ista realis impositio manus Confessarii super caput pænitentis, sit ad valorem absolutionis,

seu

15  
seu Sacramenti necessaria. Vide D: Th: &c Scolasticos 3: p: quæst: 85. art: 4. Et Carolus Borrom: Concilio Provinciali 5: tit: quæ ad Sacramentum Pænitentia pertineat, istum ritum imponendi manum super caput pænitentis, dum absoluitur, in usum revocari iussérunt.

Antequam hoc caput finiam, vnum à te peto D: Gummaré: dicis in apologiâ tuâ pag. 18. Diaconos nunquam impendisse Sacramentum absolutionem. Sed adducis relata superius verba Epist. 13. Cypriani, dicentis quod si exitus urgere ceperit, possint moribundi apud Diaconum exomologem facere, vt manu in penitentem impositâ veniant ad dominum cum pace. Exomologesis confessionem significat; consule græca lexica. Confitebantur ergo Diacono & manum in pænitentes imponebat Diaconus, vt venirent ad Dominum cum pace. Quomodo ibant ad Dominum cum pace, si impositio manum in pænitentiam erat, vt dicens, admisso ad penitentiam? Quid ergo operabatur illa admissio facta iam expiranti? Non exibis labyrintho, si tuis incedas vestigiis. Vis educi? fatere cum viris antiquitatum peritis, eos, qui publicis facinoribus scandalum Ecclesiæ pepererant, debuisse, antequam plenæ communioni fidelium restituerentur, publicè, aut coram testibus delictum antea in Sacramentali confessione declaratum denuò confiteri, humiliari, veniam petere: hæc erat exomologesis, antequam manum in pænitentiam

nitentiam abolendam , & relaxandam imponebat Episcopus , & eo absente Præsbyter vel Diaconus. Cyprianus enim illâ loquendi formulâ alludit ad ritum veteris Testamenti , quo ille , qui erat morte afficendus , sive homo , sive hostia , manus super caput imponebatur. Consule Danielem cap. 13. Num. 23. vers. 14. & 27. vers. 23. vt ergo significaretur danda indulgentia , & destruenda pænitentia , manus imponebatur , & Sacra Communione dabatur , etiam à Diacono ex Generali delegatione Episcopi.

### C A P U T III.

*Examinantur rationes Theologice , quas adfert Gummarus pro sua absolutonis dilatione.*

**U**T diuturnam suam de differendâ regulariter absolutione omnibus etiam unius peccati mortalis reis . ( vt patebit infra ) opinionem confirmet recurrit ad sua principia de gratiâ. Hinc

Decimò-quartò : pag: 51. in methodo scribit *donum vera , & inimica conversionis , quod Deus gratuitò dat , quibus dat , non solet concedi tam subiud.*

Decimò-quintò pag: 73. ait. Non est , quod absolutionem confessarius acceleret : etenim ut hoc pænitentis desiderio non obstante , iste coram Deo , & verè

verè absolveretur , necesse foret , ut esset conversus subiud. Et tamen si nemo inficias ierit , quin hoc possit Deus , tamen hoc itâ fieri solitum post eiusmodi vita genus , nemo quoque austi afferere. Loquitur quidem ibi de consuetudinario. Sed posteâ procedit vterius ; vnde

Decimò-sextò : pag: 116. ait: verum editum , & præteriorum detestatio eque ad absoluti nem necessaria sunt , & præter hæc , vera ad Deum conversione. Illa vero , cum repente acquiri non soleant , nec illis quoque , nisi notabilem vita mutationem præmiserint , à Deo infundi credendum erit.

Decimò-septimò: tandem descendit ad eum , qui semel tantum mortaliter peccavit: & pag: 200. hanc sibi obiectionem format. Consentaneum hinc videtur , quod ille , qui vel semel peccavit mortaliter peccato saltem externo , & graviori , non poterit absolvî primâ vice , quâ confessariū absolvendus accedit.

Respondet pag: 202. Responsi loco sit quod pænitens priusquam confessarium periturus absolutionem accedit , potest suâ sponte egisse ea omnia , qua confessarius absolutionem dilaturus præmittenda absolutioni iudicaret. Sed quidnam requireret Gummarus , vel Gummari canonæ doctrinæ sectator?

Decimò-octavò : lubeat , inquit pag: 52. expendere testimonia divine veritatis , quibus palam fit , quid Deus ad veram conversionem eorum etiam , qui se ab eo minus elongaverunt , requirat , & quanto plus laboris , ac suspiciorum , quam communis fert hominum opinio , exigatur. Deinde pag: 53. probare intendit ex hac sententiâ Ezech. 18. quâ dicitur

*Si impius egerit penitentiam ab omnibus peccatis suis , quæ operatus est, & custodierit omnia præcepta mea , & fecerit iudicium, & iustitiam, vitâ viveret. Ergo nô differenda est absolutio peccatoribus , donec omnia ista impleverint ? hoc vult Gummarus : nam ex isto , & quibusdam aliis scripturæ locis , quæ infra disscutiuntur, sic pag: 54. in fine infert.*

*Decimò-nondè multis igitur , tam labore , quam tempore ius opus esse solet ad veræ iustificationis dorem ad pescendam. Agere verò ipsum de dispositiōne ad absolutionem prærequisitā, constat ex iis , quæ immediate præmittit citationi Ezechielis : Nam*

*Vigesimò : pag: 52. scribit: Quapropter illis differenda est absolutio, ut eo pæsto mentem advertant, quid commeruerint, & quomodo veniam obtineant, atque iniungendum interim , ut precibus , operibus penitentia , aliisque pietatis , ac virtutum exercitationibus , atque imprimis ius , quæ consuetudini prævæ adversantur , se se ad sinceram conyersionem , disponant. Quam hoc veritati , & panitentium saluti consentaneum sit , facilius intruberis si tantisper lubeat expendere testimonia divine veritatis , quibus palam fit , quod Deus ad veram conyersionem eorum etiam , qui se ab eâ minus elongaverunt , requirat , & quanto plus laboris , & suspitionum , quam communis fert hominum opinio , exigatur.*

*A malè intellectis , & applicatis scripturis transit ad Sanctos Patres. Et pag: 59. citat Augustinum in ps: 6. Tum pagina 75. citat*

*Cyprianum de lapsis in idolatriam dicentem : Quam magna delinquimus , tam granditer defleamus : alio vulneri diligens , & longa medicina non desit , penitentia crimine minor non sit. Item illud Ambrosii ad Virginem Deo dicatam(cuius multæ sacrilegæ fornicationes scandalum grave Ecclesiæ intulerant ) panitudo necessarie est , sicut vulneratis sunt necessaria medicamina : Sed quanta putas , & qualis necessaria penitentia quæ aequet crimina , aut certè excedat. His addit nonnulla alia Patrum loca , quæ deinde pag: 201. asserit non tantum pertinere ad consuetudinarios , sed etiam ad eum , qui semel tantum gravius peccavit.*

*Quis non crederet pleraque istorum , & antecedentium , non transcripsisse ex Marci Antonii scriptis dicto cap: 7? sic enim Apostata ille n. 30. Deus non sine illâ ( gravi & externâ ) penitentiâ , gratiam peccata detestandi solet in Ecclesiâ ordinariè concedere , ut non sine causa Christus voluerit Ecclesiam habere hanc ligandi protestatem , ut per talia vincula disponatur peccator ad contritionem. Et n. 29. ait. externam penitentiam esse ordinarium peccatorum post baptismum commissorum remedium; n. 49. & 50. citat Cyprianum de lapsis , & ipsamet Ambrosii verba , quæ paulò ante retuli: item citat , ut dixi ante , aliquoties Canonem illum Concilii Toletani tertii. Suspicionem auget , quod Gummarus in Racemationibus hebdomadâ 1. pag: 8. scribit: Quinimq; aliquot sculis observatum fuit , vt*

*Secunda penitentia recidivis in graviora delicta nos concederetur. Constat illud ex Ambrosio libro 2. de penitentia Cap: 10. idem tradit aperte Augustinus epist: 54. ita enim Marcus Antonius n. 84.*

## C A P U T IV.

*Confertur doctrina ista Gummari & Marci Antonii, cum doctrinâ Catechismi Romani, Scriptura Sacra, Gregorii, Augustini, Leonis, S. Caroli Borromaei.*

**D**ei misericordiam esse velociorem, quam imaginatur Gummarus, testatur Romanus Catechismus dicto Cap. 5. n. 39. ubi dicitur: *Neque desperent fideles de summa Dei bonitate, & Clementia;* is enim cum nostra salutis cupidissimus sit, nullam moram ad tribuendam nobis veniam interponit, sed peccatorem paternâ charitate, complectitur, simulaque ille se collegit; & univer- sa peccata sua detestatus, quæ deinde alio tempore, si facultas erit, in memoriam reducere, ac detestari in i[n] animo habeat, ad Dominum se convertit; ita enim per Prophetam nos iubet sperare, cum inquit: *impie- ras impii non nocebit ei, in quacunque die conversus fuerit ab impietate suâ.* Id ipsum testatur pluri- mis locis Scriptura Sacra; Duo tantum ex illis produco.

De Filio prodigo, qui totam substantiam suam, vivendo luxuriosè, consumpsérat (quo maximè consuetudinarii significantur) para- bolam tradit Christus Luc: 15. quod ille mi- serijs

*Serijs, & fame obrutus, tandem in se reversus: in se dixit: quanti mercenarii in domo patris mei abun- dant panibus, ego autem hic fame pereo! surgam, & ibo ad patrem, & dicam ei: pater, peccavi in calum, & coram te: iam non sum dignus vocari filius tuus. fac me sicut vnum de mercenariis tuis; & surgens ve- nit ad patrem suum. Cum autem adhuc longè esset, vi- dit illum pater ipius, & misericordia motus est, & accurrens cecidit super collum eius, & osculatus est eum dirisque ei filius: pater, peccavi in calum, & coram te, iam non sum dignus vocari filius tuus. Dixit au- tem pater ad servos suos: circa proferre stolam primam, & induite illum, & date annulum in manum eius, & calceamenta in pedes eius: & adducite vitulum sagi- natum, & occidite, & manducemus, & epulemur, quia hic filius meus mortuus erat, & revixit, perierat, & inventus est.*

Et Luce 18. Duo homines ascenderunt in tem- plum ut orarent: unus phariseus, & alter publicanus. Phariseus stans hac apud se orabat: Deus gratias ago tibi, quia non sum sicut ceteri hominum: raptore, iniusti, adulteri: velut etiam hic publicanus ::: Et publicanus à longè stans solebat nec oculos ad cælum levare: Sed percutiebat pectus suum, dicens: Deus, propitius esto mihi peccatori. Dico vobis, descendit hic iustificatus in dominum suum ab illo: quia omnis, qui se exalteat, humiliabitur, & qui se humiliat, exalte- bitur. Istæ sunt parabolæ, quibus, assump- to familiari exemplo, rerum vel à nobis a- gendarum, vel quæ aguntur à Deo, doctri- na traditur generalis; sic explicant Patres omnes

22

omnes. Sed ista fortè non perpendit Gummarus, qui Methodi pag: 148. facta sibi obiectione multorum, minori, quam ipse postulat, labore, & tempore conversorum: Respondet p: 149.

Vigesimò-primo: iam pridem admodum hanc obiectionem mellifluus Bernardus de conversione Matthei, Sauli &c. verba faciens vidit, & soluit, dum illa non tam exempla, quam miracula esse dixit: Et in hac responsione adeo sibi placet, ut testio eamdem repetierit: nempe iterum in eadem Methodo pag: 80. & in Apol: pag: 101. in fine.

Non credo quod Bernardum Gummarus viderit, vel attentè legerit: sed potius quod responsionem suam transcripsit ex libro Arnaldi de frequenti Communione parte 2: cap: 12. Bernardus enim in Epist: quam citat Methodi pag: 80. & quam citat Arnaldus, non habet: Miracula, sed: Miraculum: nec haec dicit de peccatorum conversione, sed de subitanè vocatione Pauli è persecutore Ecclesie ad Apostolatum. Nec de miraculo agit Catechismus Romanus iam citatus, sed de Dei (Cuius misericordia super omnia opera eius) solita benignitate, dè quæ etiam S. Gregorius in ps. secundum penitentiale scribit: attende, quanto sit indulgentia vitalis velocitas, quanto misericordia Dei commendatio; vt confitentis desiderium comitemur venia, autem quam perveniat ad cruciatum penitentie. Et Hieronimus in ps. 31. scio te cum remittere

23

remittere delicta, cum tibi fuerint integrè revelata. De confitentibus agit tua Methodus, D. Gummarus: quos (etiamsi tantum semel mortaliter peccaverint) negas posse absolviri, nisi tot, ac tanta, & tanto tempore, ut postulas, præmiserint pénitentialia opera. Sed non ita Catechismus Romanus parte 2: cap. 5. n. 46. & 47. antea relatus: nec Gregorius hom: 26, in Evangelia scribens: Illos nos debemus per pastoralem autoritatem solvere, quos Authorum nostrum cognoscimus per suscitantem gratiam vivificare. Quia nimur vivificatio, aut è operatione relictudinis in ipsa iam dignoscitur confessione peccati.

Repete iam centies illud: Deus gratiam, quibus dat, gratuitè dat, nec tam cito dat: multa tam labore, quam tempore opus est &c. Respondebunt tibi Catechismi Romani Authores Hieronimus, & Gregorius: Quando iam è perditus est peccator, vt de Dei offensa dolens proponat peccata vitare, implere mandata, penitentiam subire, & confiteatur, iam dignosci in eo gratia operationem, & vivificationem. Audi & S. Leonem epist. 91. In dispensandis Dei donis non debemus esse difficiles, nec accusantium se lachrymas, gemitusque negligere, cum ipsam penitendi affectionem ex Dei credamus inspiratione conceptam.

At de consuetudinario potissimum dicis te agere. Ego autem te agere de eo ostendi, qui tantum semel peccavit: & tua argumenta id probare fateris. Attende nihilominus, quid de consuetudinario inveterato dicat

Augusti-

**Augustinus tractatu 49. in Ioannem:** Quam difficile surgit, quem moles mala consuetudinis premat! Sed tamen surgit. Oculi à gratiâ intus vivificatur & surgit post vocem magnam. Quid est factum? voce magna clamavit: Lazare, veni foras. Et statim produxit qui erat mortuus, ligatus manus, & pedes insititi: & facies eius sudario erat ligata. Quomodo processit ligatis pedibus, miraris: & non miraris, quia surrexit quartiduanus? in utroque potentia dominus erat, non vires mortui. Processit & adhuc ligatus est: adhuc involutus, tamen iam foras processit. Quid significat? quando contemnis, mortuus iaces; & si tanta, quanta dixi, contemnis, sepultus iaces: quando confiteris, procedis. Quid est enim procedere, nisi ab occulto velut exundo manifestari? Sed vt confitearis, Deus facit magnâ voce clamando, id est magnâ gratiâ vocando. Ideo cum processisset mortuus adhuc ligatus, confitens, & adhuc reus: vt solverentur peccata eius, ministris hoc dixit Dominus: soluite illum, & finite abire. Quid est: soluite, & finite abire? qua solveritis in terra, soluta erunt in celo. Audis Gummare? vt talis confiteatur, Deus facit magnâ voce clamando, id est magnâ gratiâ vocando. Confitentem ergo absolve, quia dixit Christus: soluite illum. Consentunt cæteri Patres cum Augustino in istâ huius miraculi explicatione, & applicatione. Irenæus Apostolorum auditor libro 5. cap. 12. Gregorius dictâ homiliâ 26. & libro 22. Moralium cap. 13. Ambrosius in orat: de fide resur: Iterum Augustinus serm: 8. & 44. de verbis domini, trasc.

in 52. in Ioannem, in pf. 70. concione 2.

Adeamus & S. Carolum Borromæum. Nullibi in eius opusculis invenies doceri ab illo, absolutionem illi, qui semel tantum peccatum, quantumcumque grave commisit, differendam, quoadusque opera pænitentialia, quæ requiris, præmisserit. Nullibi etiam invenies, quod doceat differendam absoluti- nem consuetudinario, nisi vel veniat tempore prohibito, vel per multos annos in iisdem peccatis perseveraverit, nullâ adhibitâ operâ in emendationem vitæ, vel fidem in priori confessione datam de occasione dimittendâ, vel officio præstanto frègerit. Accipe S. Ca- roli textus.

## C A P U T V.

Proponuntur casus, quibus Consuetu-  
dinario absolutionem differendam  
censem S. Carolus

**I**N Instructionibus agens de patribus, & matribus-familias, qui servis, vel ancillis non tantum tempus tribuunt, vt sacro missæ officio interesse queant, qui promiscue tempore quadragesimali, aut aliis ieuniorum diebus cænam, vel tempore ante-meridiano escam antè horam debitam, in ædibus suis præbent, vel dari patiuntur: In his omnibus peccatis, nisi re ipsâ præsent officium suum, D. negligenter

*negligentiamque in familie administratione commis-  
sam, quantum ad ea, quæ dicta sunt, attinet, in  
posterum sese emendare promittam, nullo modo eos  
absolvat: quod si in se recipiant ea se facturos, nec  
horum admoniti vniquam à confessario vel pastore, tra-  
scripto modo fuerint, poterit eos absolvere. Audis? Po-  
terit eos absolvere, si promittant emendationem.*

Exigit paulò post S. Carolus, ut confitens resoluat in posterum non peccare mortali-  
ter, seu peccata non ad tempus tantum, sed in perpetuum constanter vitare. Et ait: *Ab-  
solvere non possunt eos, qui peccato mortali valedicere  
constanter non decernunt: illos verò, qui dicunt sibi  
videri se commercium peccati non relicturos, absolv-  
vi permittit, si ea velint apponere remedia, sine  
quibus Confessarius indicat eos ad vomitum reddituros.  
Verba S. Caroli sunt: Sed nec illos etiam absolve-  
re possunt, qui quamvis afferant se peccatum vel dese-  
vere, tamen vna dicunt videri sibi non se commercium  
illius relicturos, nisi ea velint remedia apponere; sine  
quibus confessarius indicat eos ad vomitum reddituros.  
Hactenus nihil de præmittendis operibus,  
qua postulat Gummarus. Pergit S. Carolus.  
Est præterea consilium *absolutionem differre, do-  
nec evidens appareat emendatio in iis, qui tametsi di-  
cant & pollicentur quod se eximent à peccato, ta-  
men confessario probabilem faciunt metum ne contra-  
rium contingat.* Hic tandem est textus, qui primâ fronte videri posset favere singulari  
Gummari & sequacium doctrinæ, de ha-  
bendâ morali certitudine de verâ conver-  
sione,*

*ne; & de non futuro relapsu confitentis, vt  
possit absolvvi. Sed quantum etiam hic hallu-  
cinetur, videamus.*

Probabilem illum metum indè formidandum censet S. Carolus? an, quia confitens non probavit multo tempore, & labore, se esse conuersum, & non abstinuit diu à peccato, antequam peteret se absolvvi, vel reincidit post aliquod tempus in idem vel aliud pecca-  
tum? ita Gummarus, cuius accipe dogmata. Vigesimò secundò: *Pag: 64. Methodi: peccati o-  
dium, & emendationis propositū vera conversioni nece-  
ssario coniunguntur: hæc autē non istius generis sunt,  
qua facile mutari solent.* Quid ergò est quod dicit Augustinus contrà Cresconium lib: 2.  
Cap: 9. *Sive ad bonum, sive ad malum, parvo mo-  
mento animus commutatur?* Sed aliud prætendit  
Gummarus pag: 82.

Vigesimò tertio: *Voluntas absoluta, & firma  
peccatis mortiferis renuntiandi, idque in perpetuum,  
non assulet repente evanescere: etenim sive naturam  
actus species, sive obiecti estimationem, violentum est  
illis, ut subito evanescent. Imò verò solo defectu  
affiduæ applicationis & diligentia aduersus  
mundi, & carnis infirmæ cupiditates, facil-  
limè, & citò, quantumcumque vitam emen-  
dere, mandata servare in perpetuum statue-  
ris, voluntas illa evanescit.* Audi Romanum  
Cathecismum dicto cap: 5. n. 76. *Neque ulla  
alia est causa, cur tam cito, velleyiter ab hoste impug-  
nati, animo, & viribus succumbamus; quam quod &*  
D. 2 celestium

*reflexum rerum meditatione, divini amoris ignem con-*  
*cipere non studeamus.*

An credis non fuisse conversum Petrum apostolum; aut non proposuisse verè, quod numquam negaret Christum, quando dixit Matt: 26. *Etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo?*

Et tamen paulò post ad unius ancillæ vocem perterritus statim negavit. Cumque in Romano Catechismo, quem toties approbavit S. Carolus, dicto Cap: 5. n. 82. legatur: *Si audiā confessione iudicaverit confessarius neque in enumerandis peccatis diligentiam, neque in detectandis dolorem omnino defuisse, absolu poterit.*

Scire debes D: Gummaro, longè alium esse sensum allegatae iam sententiæ S. Caroli: est preterea *consultum &c.* quam tu ipse tibi persuades. Hoc autem, vt intelligas, disce ab utriusque Iurisconsultis traditum axioma: quando ad statutum, aut legem explicandum varia coaceruantur exempla, statuti, aut legis dispositio per illa declaratur, nec ad dissimilia extenditur. Hoc axioma vidi fusè probatum in insigni motivo iuris in causâ propinqui mei.

S. Carolus pro explicatione suæ regulæ: est preterea *consultum*, coaceruat exempla eorū Qui quotidiè peccant, & ad confessionem veniunt tempore prohibito: qui multis annis in peccatis suis perduraverunt nullà adhibitâ diligentia in emendationem vite: qui occasions, qua per se in peccatum inducunt, non absindunt;

absindunt: vel apud se quis lovet eam, cum quid peccavit, vel alit concubinam: cum feminis perdurat in tactibus impudicis, & eis nuntium mittere non promittit, aut si promiserit, fidem datam fregit: qui in officio militari, Magistratus, advocati, tantam sibi pecandi consuetudinem adscivit, vt coniectari liceat ( si in eisdem officiis maneat cum se rursus oblatura sunt occasiones blasphemie, furti, fraudis, iniustitia, calumnia) quod fortiorē axiū ad resistendum peccatis non opponent, quam hactenus fecerint, quodque in idem lutum ex integro prolabentur: quos tamen absolue permittit, Si negotium pericolosum deponant. Singula modò videamus latius & cum doctrinâ Gummari conferamus.

## C A P U T . V I .

### *Antitheses Doctrinæ Gummari cum Doctrinâ S. Caroli, Cathecismi Romanî, & SS. Patrum.*

**R**egulâ illam suam coaceruatis ( vt dixi ) exemplis explicat S. Catolus & ait: *Ex hoc genere esse solent plerique adolescentes, qui in otio ritam agunt, qui luxui dediti copulam, & amores in honestos sequuntur, qui libidinibus pascuntur, verba obscena proferunt, murmurant, in odii ac detractiōnibus versantur quotidie, & confessionem differunt usque ad ultimos quadragesima dies. Hisce verbis subiungis in Meth: pag: 50.*

Vigesimq; quartd: *Quis ambigat eorum esse in genere,*

tere, quibus omnino differenda est absolutionis: neque enim solent homines istius farinae repente ita converti, ut ex animo, eoque quo debent modo, peccata sua detestentur: longius adhuc abest, ut tempore tam modico firmiter in animum inducere nullo unquam tempore peccata iterare.

Non est illa, quam prætendis D: Gummarus, ratio differendæ absolutionis: sed illa, quam expressit S. Carolus seu: *Quia tales veniunt tempore prohibito. Prohibitionem accipe expressam in Instructionibus: Nullorum excipiuntur confessiones, nec in civitate, nec verò in tota diœsi nostra post Dominicam palmarum usque ad diem integrum pascha peractum, nisi eorum, qui paulò ante confessi sunt, aut saltem à quinquagesimâ præcedenti. Huius constitutionis rationem dat Concilio provinciali quinto, titulo: Quæ ad Sacramentum Penitentia pertinent, his verbis. Ut ad Sacramentum penitentia, fideles sollicitè, diligenterque accedant, id parochus præster, ut in hebdomadâ, quæ quadragesimam proxime præcedit, ad patrum-familias edes, quæ intrâ parochia sua fines sunt, sigillatim eat: ac videat accuratè, qui obligatione huius Sacramenti suscipiendi, & sacra eucharistia pascha tempore sumenda devincti sint, eorumque nomina rectè describat ac singulos præterea, eosque præsertim, qui perrorè confitetur moneat, ne confessione differant in postremos illos quadragesima dies, quibus sacerdotes, vel ob ministeriorum celebritatem, assiduâ divinorū occupatione ab audiendis confessionibus impediuntur, vel frequenti tunc concursu fidelium defatigati, ita in eo ipso munere prestanto fere opprimuntur, ut tantum, tamque salutare ministerium in confertissimâ*

*confertissimâ multitudine vix rectè illis praefare queant.*

Tales, qui expressè contrà expressam constitutionem sedi confessionali se intrudunt, si confessarius deprehendat esse ex eorum genere, qui quotidie versati sunt in peccatis, & à quinquagesimâ non sunt confessi, remitti vult S. Carolus usque ad peractum paschæ diem: qui à videntur voluisse eligere tempus, quo potius præcipitanter absoluatur, quam ut debitè cognoscerentur animæ vulnera, aut penitiū examinarentur.

Habes hic Causam probabilis metus, non in eo contentam quod non præmisserit tot opera pænitentialia, tanto tempore, & labore: sed expressam ab ipsomet S. Carolo: qui, si commodo tempore venerint, nullibi docuit eos sine absolutione dimitti. Simile quid leges sermone 30. ad fratres in eremo apud Augustinum: *Nolite, Fratres mei, differre confiteri peccata vestra: nam qui differt usque ad ultimum diem quadragesimæ, dat signum quod hoc libenter non facit. Tuæ falsæ interpretationi insistens scribis pag. 56.*

Vigesimò quinto: *Quantum conatum, quantas preces, quot horarum moras, denique preparationes oportet illum adferre, qui in viriorum aria, etiam ignorantiâ non fallente, nullâ passione impellente declinavit! De quibus personis agis D: Gummarus? qui peccatum agnoscit, de Deo offendidolet, confitetur ultrò eo tempore, quo non urget præceptum: vel, si confessionem faciat palchalem, tempus eligit commodum confessario*

fessario, quo possit eius statum penetrare, suggerere consilia adversus relapsum, promptum se exhibet ad illa sequenda, nonne illa præmisit, quæ postulantur à Catechismo Romano, S. Carolo, Augustino, Leone, Gregorio, antè citatis requiritne regulariter alia S. Carolus?

Sed tu, dum quemlibet peccatorem confundis cum eo, de quo agit S. Carolus in textu citato: *Ex hoc genere &c. novas nobis, & inauditas fingis de Divinâ bonitate leges. Quæris tamen pro doctrinâ tuâ ratiunculas, & pag: 59. scribis.*

Vigesimò sextò: *Panitens ob dilatam absolutionem magis apprehendit, penetratque peccati sui turpitudinem, & enormitatem, atque hāc ratione magis sollicitè fugit horretque vehementius relapsum: morbi quippe, quod curantur tardius, exosi sunt magis, maiorique carentur sollicitudine.*

Hoc vt probes, ineptè citas Augustinum vt patebit infra. Vide modò, qualiter consulis tuo pænitenti. Relinquens interim illum expostum periculo, ne sine absolutione moriatur, privabis communione sacrâ, &c, vt loquitur S. Leo epist: 89. *A gratiâ communionis exclusum, & animam pro qua Christi sanguis effusus est, irrigatione tam serui supplicij sauciataam, & enormem quodammodo, exutamque omni munimine diabolis incursioribus, vt facile capiatur, objectam. Scio, nullatenus te terrent ista, ac ne quidē times, ne sine absolutione moriatur, quia pag: 131. sic respondes:*

Vigesimò

Vigesimò septimò: *Expendant ii, quos hac modi yet obiectio, quo pacto non insimulent benignam matrem ecclesiam severitatem, quæ annos aliquot penitentia olim premissos voluit. Niteris iterum falso supposito. Haec tenus non probasti premissos olim aliquot pænitentiæ annos absolutioni, Teque, & Tuos manifesti erroris convictit D: Nicolaus duBois in dictâ Apol: pag: 45. & sequentibus: &c ostendit etiam publicè pænitentibus datam fuisse, pendente pænitentiâ, in Paschate communionem, & ad illam recipiendum fuisse interim, & ad tempus reconciliatorum. Probavit hoc ex Canone Soteris, qui præfuit Ecclesiæ anno 175. & refertur à Gratiano Dist 2. de consecratione, Can: 17. ex Epist. primæ Innocentii, qui vixit tempore Augustini, ex Decreto Silverii, qui præfuit Ecclesiæ anno 536. ex Canone 47. Concilii Cabilonensis, quod celebratum fuit 813. Addo ego Canonem S. Bonifacii confirmatū à Zahariâ Pontifice anno 742. suprà relatum: item probavit ex Can: Theodulphi, aliisque ad pag: 52. quibus argumentis vñteriora addidit author Libelli, cui titulus: *Aliquot propositiones. Sed pergitu, & eâdem pag: scribis**

Vigesimò octavò: *Neque Ecclesia sacro baptismatis fonte, absente iustâ necessitate timxit, nisi Pascha aut Pentecostes festivitate appetente; nihilne tum periculi, ne quis pænitentium, aut Catecumenorū decederet sine Sacramento, quo nullum magis est necessarium?* Bellè argumentaris à penitus dissimili: estne

par ratio Sacramenti absolutionis, & Baptis-  
mi? nonne hic à quolibet, etiam fæminâ, imò  
Pagano conferri potest? & tamen Ecclesia,  
timens, ne quis moreretur sine baptismo,  
vsum antiquum differendi abrogavit. Et non  
times ne quis moriatur sine Sacramento pæ-  
nitentiae, quod à solis Sacerdotibus conferri  
potest? quorum frequentia non obstante,  
multi subitò sine illo moriuntur etiam in  
civitatibus. Nonne ingens in pagis periculū,  
vbi vnicus sacerdos, & saepe absens ab ovibus?  
quo ergo fundamento dicas eadēm pag: 131

Vigesimò nonò: *Multi ad eternam felicitatem*  
*perducuntur, si nullus illorum (Consuetudinario-  
rum) citrā iustam necessitatem à confessarioullo abso-  
lutionem impetrat, nisi previā m̄trum mutatione se con-  
versum ostendat, aut luculentas insolite penitentiaris  
satisfactio[n]es ediderit?* Hoc nusquam docuit S.  
Carolus: sed absolvi, si emendationem vitæ  
promitant, permittit, exceptis paucissimis  
casibus.

Audi insuper quid dicat de consuetudina-  
rio inveterato in Instructionibus: *Idem faciendū*  
*cum iis (scilicet ut differatur absolutio) qui cùm*  
*multos annos in suis peccatis perdurant, nullā interim*  
*adhibitā operā in emendationem vita, in eadem peccata*  
*iterum, atque iterum labuntur.* Habet hic exem-  
plum secundum datæ a S. Carolo regulæ, ex  
quo potest probabiliter metuere confessari-  
us, ne pænitens non se eximat a peccato. Ha-  
bets insuper, quod ne quidem isti inveterato  
neganda

neganda sit absolutio, si aliquam operam ad-  
hibuit in emendationem vitæ. Non requirit  
vt notabilis vitæ mutatio præcesserit: multò  
minus postulat ea, quæ insuper exigis. Dele  
igitur facile medietatem tuæ Methodi; quâ  
agis de consuetudinariis. Interim revertamur  
ad periculū mortis. Obicitur tibi fieri sæpè,  
vt quis sit sufficienter dispositus ad conse-  
quendam iustitiam per absolutionem, quam  
sine absolutione non consequetur. Hoc esse  
certissimum docet Catechismus Romanus  
dicto Cap: 5. n. 46. & 47. cuius verba retuli  
suprà: ad hoc respondeas pag: 127.

- Trigesimò: *Vi huiusmodi penitens, sat*  
*fuerit conversus, quantum ad absoluendum exigitur, debet*  
*illi fuisse verum, sincerumque malitia peccatorum odi-  
um: deinde necesse est, vt ad Deum per virtutes Theo-  
logicas ad iustificationem necessarias fuerit conversus.*  
Quoad partem primam huius tuæ responsio-  
nis consentiunt Theologi omnes. Sed quid  
intelligis per secundam? visne quod iam sit  
iustificatus, antequam absolvi possit? hoc  
voluit P. Gabrielis, qui in opere damnato  
pag: 126. scripsit: *Nisi per opera penitentiae, quam*  
*in ipso operatur Deus, & per quam externis operibus*  
*indicit se eum recipere in gratiam, non erit vera abso-  
lutionis sacerdotis praesidentis ( : Ita quoque Marcus*  
*Antonius citans eumdem Gregorii locum,*  
*quem citat P. Gabrielis dicto Cap: 7. n. 15.*  
*cap: 8. num. 3. cap: 12. n. 39.) cuius sen-  
tentia secuta est hæc correctio, Nisi per vera*  
*penitentia*

penitentia signa constet sacerdoti de sufficienti dolore penitentis, seu de compunctionis gratia, per quam visitus a Deo se disponit ad gratiam reconciliationis in Sacramento obtinendam, non erit legitima absolutio sacerdotis Presidentis. Rogo te præterea ut doctrinam illam tuam concilias cum Catechismo Romano dicto n. 46. & 47. sed ad coniecturas fugis scribens pag: 127.

Trigesimò primò: Si ad gratiam per Sacramentum consequendam foret dispositus, nomine res foret in primis demiranda, quod divina providentia sineret eum vitâ defungi tam infelicitate, eo, inquam, tempore quo confessarii id suadentis obsequitar iudicio? sed hoc magis demiraberis, si perpendas, quod ut talis damnatur, debuisset Providentia divina destinato concilio decreuisse ipsum in vindictam ante acta vita in flammas infernales precipitem dare. Dico ego, si fuerit iustificatus, uti insinuas, cestiat periculum Ne in flammas infernales precipitetur.

Sed cum iustificatio non requiratur ad Sacramentum, ut constat tam ex Catechismo Romano dicto n: 46. & 47. quam Tridentino concilio sess: 14. cap: 4. an credis, quod si sufficienter ad absolutionem sit dispositus, non tamen ad iustificationem, id supplebit Deus, quod defuit ministerio sacerdotis? hoc non credit S. Leo dicta epist: 89. cuius verba supra retuli: nec Iulius primus, qui scripsit: si presbyter morientibus penitentiā denegaverit, reus erit animarum. Nec Celestinus primus in epist: ad Episcopos Gallie scribens: Agnouimus penitentiā denegari morientibus,

morientibus, nec illorum desideriis annuis, qui obitui scilicet tempore hoc anima sue cupiunt remedio subuenire: horum remus tanta impietatis aliquem reperiri.

Penitentia nomine ipsum Sacramentum intelligi nullus Canonistarum apud Gratianum (qui istos textus retulit causa 26. quæst 6.) dubitat. Et voce, Penitentia, Sacramentum significari docet Catechismus Romanus dicto cap: 5. numero 5. & 15. Quid timere debuerunt illi Pontifices, si tuā fuissent imbuti doctrinā? si enim morientes illi non fuissent ad Deum per virtutes Theologicas ad iustificationem necessarias conversi, ut loqueris, inutile fuisse absoluto; si autem conversi sufficienter, nullum erat periculum, ne aliquo sacerdote absolutionem negante damnarentur, quia, inquis: ut talis damnaretur debuisset divina Providentia destinato concilio decreuisse ipsum in vindictam ante acta vita in penas infernales precipitem dare. Alter sane fidendum de Deo. Sed audi quid dicit S. Leo in epist: 91. multum utile est ac necessarium, ut peccatorum reatus ante ultimum diem sacerdotali supplicatione solvatur. Dominus Deus noster, cuius iudicia nequeunt comprehendendi, quod sacerdotale ministerium implere non potuit, sua iustitia reservavit. Non times etiam quod dimissi postea non redeant: & pag: 135. dicis

Trigesimò secundò: obiecio illa: dimisi non redibunt: meticulosa sane est; mihi quidem sit verosimile quod redibunt: quam plurimi Meticulos ergo

ergò fuerunt Catechismi Romani authores & universa penè Galliæ Provincialia Concilia, quæ Catechismum illum approbarunt. In eo enim, dicto cap: 5.n:82. dicitur: *sacerdoti maximè verendum est, ne semel dimisi amplius non redeant.* Non times etiam (quod gravius est) quod dimissi transfeant ad partes hæreticorum. Sed timere debuit P. Gabrielis Romæ: cum enim in damnato libro pag: 170. scripsisset: *cum tum temporis Ecclesia esset maximè corrupta, & divisa in sectas, & hereses, indubie plurimi transivissent ad partes hæretorum, si debuissent sustinere antiqua penitentia rigorem;* ad haec verba debuit addere in libro correcto pag: 145. vel forte solius solutionis dilationem: *Quandoquidem cavarim Catechismum Romanum n: 82. repetā quod ibidem subiungitur de illis, qui perraro confitentur, & plurium scelerum sunt rei.*

*Si confessarius auditā confessione iudicaverit, neque in enumerandis peccatis diligentiam, neque in detestandis dolorem omnino defuisse, absolvī poterit.* Quomodo ergò in Methodo tuā pag: 71. scribis?

Trigesimò tertio: dubium quartum, an absolutione ordinariè sit differenda illis, qui per censuetudinem peccatum aliquod mortale commiserant & huic dubio respondes, *muneris illorum esse, si vera iustificationis desiderio rapiuntur, insignem vitæ mutationem præmittere..* Deindè pag: 73. communiter differendam absolutionem, nisi imminente morte aut datis omnino extraordinariis penitentie signis: Hanc doctrinam vidimus etiam antè improba-

tam

tam à S. Carolo, qui tantum certis casibus absolutionem consuetudinario vult differri si nempè veniat tempore prohibito, si multis annis perduraverit in peccatis, nullà adhibitâ diligentia in emendationem vita: si datum in precedenti confessione fidem violaverit præsertim sepiùs, si in officio, quod exercet, ita affueverit vitiis, vt non sit verosimile quod fortiorē animum adhibebit, si illud non dimittat. Tu etiam ei qui hac tenus fidem non friggit, nec illis, quæ iam retuli, obnoxius est, sed tantum simpliciter alicuius peccati consuetudinem contraxit, etiam differendam censes, donec per tempus notabile præmisserit vitæ mutationem notabilem. Deindè sic queris pag: 89,

Trigesimò quartò: credendumè penitenti consuetudinario, se vere conversum afferenti, & si nulla præiverit vita mutatio, saltē si syncerus, & proinde nolle decipere noscatur? Respondes: afferunt nonnulli, credendum esse tum ad minus, cum penitentis candor, & synceritas noscuntur: quid enim fides negetur illi cum toto se corde dolere de præteritis, velle futura cauere, ad occasiones vitandas paratum, immo ad media à confessario sugerenda adversus periculum relapsus accipienda promptum se affirmet, & exhibeat: nihilominus respondentum est... Hac non facere satis. Repugnant haec omnino doctrinæ S. Caroli hac tenus allegatae: sed quò magis repugnancia appareat, alia capita doctrinæ eiusdem S. subiicio: tum ad alia tua dogmata descendemus.

CA

## C A P U T VII.

Proponuntur, & expenduntur alia à S. Carolo data  
Regula exempla, quæ confessario probabilem me-  
rum faciunt, quod confitens non eximet  
se à peccato, & conferuntur  
cum doctrinâ Gummari.

**T**ertium exemplum, quod postea per par-  
ticulares casus explicat, sic ponit S. Ca-  
rolos: deinde nec eos absolvat qui cum peccatis mor-  
talibus simul etiam eorum occasiones vitare plane non  
proponunt. Sub occasionem peccati mortalit omne il-  
lud cadit quod peccandi mortaliter causam administrat:  
eo quod huiusmodi est, quod vel per se in peccatum induc-  
cat vel eius occasione confitens usque ad peccandum adeò allicitur, ut certè confessarius metuere posset, quod  
ex perverso, quem diu induit, habitu, in posterum non  
magis abstinebit, quam prius, à peccato, si in iisdem  
occasionebus versetur. Vides hic, ex quibus me-  
tum, quod à peccato non se eximent, colli-  
git S. Carolus: nempe si maneat in occasione,  
quæ per se in peccatum inducit, vel ex eâ ita  
ad peccandum allicitur &c. Nec tamien ad-  
huc omnino censet differendam absolutio-  
nem ei, qui in occasione permanet: Sed oc-  
casione distinguit in duas species, vt patet  
ex eiusdem allegatis verbis, quarum specie-  
rum prima est, quæ per se in peccatum inducit: al-  
tera, quæ confitens usque adeò ad peccandum allicitur &c. De primâ sic ait: Prioris ordinis occasio-  
nes, quæ scilicet suapte naturâ trahunt in consensum  
peccati

peccati mortalis, sunt huiusmodi: artem profiteri tâ  
bellis chartaceis, vel aleis ludendi, domû tenere in buno  
finem alius paratam: aliquam, cum quâ sit peccatum,  
vel apud se vel apud alium suo rogatu forere, vel quo-  
cumque modo in iisde adibus habitare, persistere in as-  
sidua colloctione, aspectu quotidiano congreſsu, & si illi-  
bus turpium amorū irritamentis. Itaque, si parit intenti  
iis, aut similibus impedimentiis irretitum esse perspe-  
xit, ipsaque occasio talis sit, quæ tum etiam reip' a exi-  
stet: veluti quod concubinam alit, vel quid huiusmodi:  
confessarius eum absolvere non debet, nisi prius illam  
ipsam occasionem proſus abſindat.

Ergo iuxta S. Carolum, si occasionem ab-  
ſindat, absolvī potest; vocis enim: nisi, haec  
est vis, & significatio, vt contradicat præce-  
denti orationi ( vide fusissimam huius rei  
probationem apud Barbolam dictione. 217 )  
præcessit autem negativa: absolvere non debet.

Eiusdem speciei occasiones sic proponit vi-  
terius: in aliis vero, vt aleâ ludere communiter, in  
venereis aspectibus diu esse, conversari periculoſe cum  
seminis, perdurare in tactibus impudicitis, si eis num-  
erium remittere non pollicetur, vel spondeat, alias ta-  
men cum de eodem fidem fecerit, vitam non emendaver-  
it, absolusionem differat usque eo, dum emendationis  
aliqua argumenta videbit.

Vides iterum, perdurantem in tactibus im-  
pudicis cum fæminis, adeòque consuetudina-  
rium, absolvī posse, si eis numerium remittere spon-  
deat, nec datam anteā confessario de dimissione fa-  
dem fregerit.

Sed quid si confitens occasionem dimittet  
te facile, non possit absque periculo, vel scan-  
dalo? hâc de re sic prosequitur S. Carolus: *at*  
*verò cum vsu venire posse, ut ex omnibus, que solers ac*  
*circumspetus confessarius excoxitaverit, nullum remediū*  
*ramen potuerit habere, cur penitens absque periculo, &*  
*scandalu magno debeat occasionem præscindere, vtatur*  
*confessarius his viis. Primo: absolutionis beneficium eò vs-*  
*que extrahat, donec emendationis indicia videat, maximè*  
*si absolutio citrā aliquod illius periculum vel infamiam*  
*procrastinari posse, eaque doloris signa perspiciat, eam*  
*animi dispositionem, promptitudinemque suscipiendi om-*  
*nia, que pro eius emendatione necessaria Confessarius ju-*  
*dicabit: quo tempore remedia hujusmodi penitenti pro-*  
*poner, que magis opportuna, magisque necessaria appare-*  
*buit: verbi gratiâ præscribet ei, ne solus umquam cum sola*  
*versetur, vt oratioe augeat, corporis maceratione subeat*  
*aliquā, quodque præcipuum est, vt frequenter confiteatur,*  
*aliaq̄ similia, que si penitens recipiat in se, poterit absolvi.*

Habes hic cōsuetudinariū, qui perduravit in tactibus impudicis cū fæminis, qui in priori cōfessione datam de occasione dimitteā fidem fregit. Ab hoc tantum emendationis indicia postulat S. Carolus. Illa sunt, si paratu se præbeat suscipiendi ea remedia, que ibi ex primit. Si hæc pænitēs in se recipiat (non dicit: peregerit) poterit absolvi. Ac ne quidē, vt absolvatur, requirit, quod remedia illa actu præscripterit confessarius & discusserit, quænam sint maximè opportuna, nisi si citra infamia, aut periculum differri absolutio possit.

Dicit

Dicit enim: *absolutionis beneficium extrahat*  
*donec emendationis indica videat, maximè si absolu-*  
*tio citrā aliquod illius periculum vel infamiam procras-*  
*tinari posse: ergo si citrā aliquod illorum pro-*  
*crastinari nequeat, absolvi non prohibet:*  
*tali enim loquendi formulâ vox, maximè, est*  
*expressiva casus, super quæ cadit dispositio,*  
*vel lex. Si dubitas, lege Cap. 13. & ibi glossas*  
*& Glossatores de foro competenti. Hactenū S. Ca-*  
*rolus de occasionibus primi generis, seu quæ*  
*per se ad peccatum inducunt.*

Sequuntur, quæ per se non inducunt, sed  
sunt de se actiones licitæ, vt: militare, age-  
re magistratum, consiliarium, advocationem,  
procuratorem, mercaturam exercere & alia  
similia, in quibus sæpè peccatur. Ecce quid  
de his dicit S. Carolus. Alterius generis occasio-  
nes, que videlicet ex conditione peccantium sumuntur,  
ea facta sunt, quæ etiam per se licent, tamen proba-  
bilem timetur: ne is, qui confitetur, in eadem ipsa,  
qua olim admisit peccata, relapjurus sit, si in eisdem  
operibus, in quibus antea versatus est, perseveret: ta-  
les ob mundi corruptelam plurimis esse solent: in castris  
esse, mercaturam sequi, magistratus obire, advocationem &  
procuratori officia exercere, aliaque id genus: quæ  
dum quis tractat, sit sæpe, vt vocibus blasphemis, fur-  
tis, iniustiâ, calumnis, odiis, fraudibus, periuriis, &  
aliis eiusdem farina sceleribus, quibus Deus offenditur,  
tantam sibi eorum consuetudinem adscriverint, vt con-  
iectari liceat, si in eisdem officiis maneat, cum rursus se  
eadem illæ oblatura sint occasiones, quod fortiorē am-  
muni

unum ad resistendum peccatis non opponent, quam hanc tenus fecerunt: quodque inde sequitur, in idem latum ex integro prolabentur. Omnes qui sunt huiusmodi, secundum D: Augustinum, vel negotium ipsis periculorum deponant, vel saltem absque licentia vel obedientia p*ii* ac probati sacerdotis non exerceant: qui quidem hominem eo modo constitutum absolvere non debet, si existinet ad eadem peccata redditum, quandiu in antiqua occasione perseverat: Sed equam est, ut vita emendatio, & quadam illius approbatio per temporis intervalum expectetur.

Vides hic, quod ne quidem istis consuetudinariis, imò inveteratis differenda sit absolutionis officium, vel negotium, in cuius exercitio toties peccaverunt, dimittant.

Sunt aliae occasionses, quae quodammodo ad primum genus appropinquant, licet non ita per se ad peccatum trahant, qualiter traherent: tenere apud se concubinam, vel eam, cum quae peccavit, aut perdurare in periculis conversatione cum feminis. De istis sic loquitur S. Carolus: Multo magis confessarius circa ea officiorum, actionumque discrimina extirpanda allaborare debet, quae nullam vel necessitatem Reip: vel utilitatem secum ferunt: quae quamvis ex priori ordine rerum non sunt (illae enim per se ad peccatum mortale inducunt, ac propterea necessario à quovis homine quocumque in statu relinqui debent) nihilominus ad male agendum inflecent, ac fallit negotio sepissime ad diversa peccata trahunt: ut chorēis interesse, agere cum blasphemis, versari cum scurris, malorum se sodalitatibus hominum adiungere

iungere, tabernas frequentare, otio indulgere, similesque actiones, in quibus ut plurimum homines peccare mortaliter solent, qui quidem antea non debent absolvi, nisi animo abalienato, penitus illa ipsa se deserturos esse pollicentur. Et quidem si probabiliter sibi confessarius persuadeat posse fidem primā vel secundā à paenitente sibi promissiōni factā dare, quod scilicet occasionem auferet, poterit eum intuitu promissionis absolvere.

Audis iterū, D: Gummare, si probabiliter sibi confessarius persuadeat posse fidem primā vel secundā à paenitente sibi promissiōni factā dare, quod occasionem auferet, poterit eum promissionis intuitu absolvere & quidem talem, de quo ibidem agit S. Carolus? Tu verò Pag: 89. seu Propositione 34. supra relatā, consuetudinarium (non irretitum talibus, quae paulo ante expressit S. Carolus) Cuius sinceritas noscitur, & candor, qui se promptum exhibet ad vitandas occasionses, imò ad media adversas relapsū accipienda: Nō vis posse absolvi: requiris notabile vitæ emendationē. Et tamē S. Carolo sufficit, quod occasionem deseruerint, aut pollicentur se deserturos: si tales sint, quorum promissioni confessarius sibi persuadet posse fidem adhiberi, quales indubie sunt quorum fides, & candor noscitur, ac se paratos exhibent ad accipienda remedia adversus relapsū à Confessario suggerenda.

Dele igitur, quidquid in Methodo tuā ferē de consuetudinariis scripsisti: aut certè cum doctrinā S. Caroli (quam te vel non integrè legile,

legisse, vel opinione tuâ präoccupatum, ad eam non attendisse apertum est ) concilia. Hoc à te expecto. Et quis non expectaret à Doctore Eximio ? aut saltem, qui pro tali se gerit, & haberi vult ?

### C A P U T VIII.

*Exhibitentur alie Assertiones Gummari de consuetudinariis doctrinæ S. Caroli contraria, miseriis animabus tyrannica, publica quietis turbatiya.*

**T**Rigesimò quinto : Pag: 82. illos, qui paulo post reincident, censem non fuisse aite à sufficienter dispositus, quia non fuerunt sanitati restituti, sed similes febricitantibus. Et Pag. 98. ait

Trigesimò sexto : quædā peccata sūt, quæ suapte naturæ magis adhærescunt, ut sunt venerea quæ promedium in conuerardinem abierunt, illos magis alligatos tenent, & intricatos. Cum Augustino postulamus, ut consuetudo peccandi cedat violentia penitendi. Si locum Augustini citasses, non autem decem Tomos, meliori egilles fide : sed quæ statim errorem tuum detexisset. Verba illa habet Augustinus Tractatu. 49. in Joannem, & dicit : fremat Peccator & consuetudo peccandi cedat violentia penitendi.

Agit de fine, quem debet confitens intendere, non qui debeat prämitti absolutioni. Id evidentissimè patet ex ipso Augustini textu, qui ibidem de consuetudinario, etiam inveterato, & pef Lazarum quatriduuanum in monumento fætentem repræsentato a-

gens

gens, mandat talem, si confiteatur, absolu. Vt confiteatur talis, Deus facit magnâ gratiâ vocando, confitentem, discipuli, scilicet. Verba eius, & aliorum Patrum retuli plenius suprà.

Et S. Carolus, vt suprà vidimus, paucis tantum casibus mandat absolutionem differti in inveterato peccatori. Nusquam requirit ea, quæ postulas, D: Gummare. Insistis tamen, & dicis :

Trigesimò septimo : apologiæ Pag: 6. in fine : adhibenda est dilatio, ut pertiens ad durans, mediis à confessario tanquam à medico spirituali prescriptis utatur, ac pravis suis inclinationibus medeatur, ut congrua Pietatis exercitia paragat, & fidei, spes, charitatis, detestationis ac propositi actus frequenter iteret.. Ista facere, obtenta jam absolutionis, & sacramenti gratiâ, optimum : frequenter confiteri, & communicare, ut perfectionem illam paulatim peccator assequatur, suadet S. Franciscus Salesius in Instructione pro Confessario, imò octiduam confessionem & communionem suadet S. Carolus : sed ista, quæ postulas, omnia requirere, antequam absoluatur, & interim miseram, & adhuc sub peccato jacentem animam privare gratiâ Sacramenti Pænitentiæ, arceré consequenter à sacrâ cœmunione, quæ teste Catechismo Romano parte 2. Cap: 4. n. 50. vsque ad 57, plurimum conducit, crûdele est, & S. Carolo incognitum. Quinimò Concilio Provinciali sexto, tiulo de disciplinâ militum, quo- rum

fum vitam maximè corruptam afferit, statuit: ut singulis quindecim diebus communicent, ut ad bene vivendum se communiant. Quid hoc est, nisi ut inclinationibus pravis medeantur, veterem consuetudinem exuant, novam induant? Nondum Gummaro sufficiunt tot, & tanta, quæ hactenùs ad absolutionem requisivit: alia postulat.

Trigesimo octavò: sic enim scribit Pag: 141. Prorsus consuevit, ut quemadmodum ager inchoatà jam curatione se longo tempore non invisi à medico non patitur: ita & spiritualis ager brevi post tempore (quid octo, aut plurimum, pauciorumve, pro confessarii iudicio, erit dierum) rursus confessario sese exhibeat, dicatque, quid prescripta medicamina proficerint, & nova, si visum fuerit, ab eo excipiat: hoc ad similitudinem curationis corporalis identidem faciendum, donec pro confessarii prudentiâ valerudini spirituali restitutus fuerit. Nullibi ista præviè ad absolutionem requisivit S. Carolus, nec Romanus Catechistinus. Sed requisiwerat tecum P. Gabrielis in damnato libro Pag: 136. ubi scripserat: absolvere non possumus, nisi instar bonorum medicorum praecaveamus relapsum per plenam vulnerum curationem; quam sententiam cum hac additione corrigerem coactus est: non quidem sic, ut sit obducta cicatrix, sed ut absit morale periculum proximi relapsus in consueta crimina. Quod periculum, si dimittat concubinam, si promittat vitare consortium mulierum, cum quibus perduravit in tactibus impudicis, nec datam

hac

hac de re in priori confessione fidem fregerit: si dum occasionem huiusmodi dimittere absque periculo, & infamia non potest, recipiat ea consilia, quæ confessarius iudicat necessaria aduersus relapsum.

Ex pluribus eiusdem S. Caroli sententijs similibus accipe unam ex Instrukcionibus: Absolvere eos non possunt, qui quamvis afferant peccatum se velle deserere, tamen una dicunt videri sibi non se commercium illius relicturos, nisi ea velint remedia apponere, sine quibus confessarius iudicat ad vomitum reddituros. Non dicit S. Carolus: si remedia adhibuerint, aut apposuerint: si post aliquot tempus se rursus confessario exhibuerint, dixerintque, quid prescripta medicamina profecerint, si valerudini sint restituti: Sed solum: Si ea velint apponere remedia, sine quibus confessarius iudicat ad vomitum reddituros.

Ex quibus patet, quomodo S. Carolo repugnet alia assertio, quâ pag: 12. dicis: Confessiones, & communiones, quæ durante consuetudine recidendi peracta sunt, plerumque tamquam sacrilegia confiteri oportet. Sed audiamus alia, quæ si iuxta novam Gummarii doctrinam practicentur, multorum infamiam, scandala, turbas, & dissidia inter familias, homicidia, aliaque incommoda gravissima causabunt; sœpè contingit, quod eiusdem domus famulus, & ancilla, fidem mutuam de matrimonio inter se contrahendo sibi dederint: vel viduus, & vidua habentes utriusque sexus proles conjuncti sint: deinde unius coniugum filius, &

G

alte-

alterius filia etiam de consensu, & hortatu parentum sponsalia contraxerint: & indicto matrimonii die se mutuo interim cognoverint semel, aut sepius, & adeo grave periculum relapsus, quia sub eodem tecto habitant, nec sine gravi incommodo familiæ separari possint, aut separatio illa subitanea, & in talibus circumstantijs fieri non posset sine infamia & gravi suspitione incontinentia.

Hæc est causa gravissima, propter quam Episcopi omnes dispensant in bannis, ut citissime coniungi possint, approbata ab omnibus Concilii Tridentini Interpretibus, ut scilicet sponsus, & sponsa à peccati periculo liberentur. An obtentâ dispensatione, & confessione eodem die præmissâ contrahere possint? nimis, inquit Gummarus pag: 115. sed

Trigesimò nonò: Moneat Pastor, serio confessionem tempestive instituendam, & non in diem nuptiarum differendam, verum iusto sat tempore ante nuptiarum diem, animam confessione expient.

Sed periculum est, ne si per plures dies matrimonium differatur, denuò labantur: respondet Gummarus dicta pag: 115.

Quadragesimò: Haud inficias irem, si vere conversi & gratiâ per absolutionem acceperâ tam cito solerent relabi, cuius tamen, si periculum quoddam subvoluerit pastori, ita succurriri potest: confessione tribus, quatuorve ante diebus factâ, absolutionem non impendat illicet, sed in tempus nuptiis vicinum magis, inq ad ipsum nuptiarum diem, si videtur, differri potest. Quid si sponsorum

forum alter, non quidem cum sposo, sed vel cum personâ aliâ, vel solus, dum de futurâ coniugii copulâ cogitat, peccaverit? hunc enim casum etiam tractat Gummarus pag: 113. usque ad 116. quid ad hoc respondet?

Quadragesimò primò: Pastor, inquit, prius merito consulteretur, quid auditâ confessione de commido nuptiis die censeret. Sed quid si dies antea indicatus fuerit? & interim alteruter lapsus sit? quid si sponsus, & sponsa, qui se cognoverunt, debeant sèpè colloqui simul de disponendo statu familiæ, negotiationis, & habitationis, ad quam matrimonio contracto se retrahent, & interim absint parentes, aut fortè solus pater: sed secreta sua nolint coram matre pandere: ideoque adsit continuum periculum, & gravissimum peccati, quod evitarent, si coniungerentur? Respondet. pag: 116. .

Quadragesimò secundò: Quasi verò, absente peccati futuri periculo penitens in portu navigaret, ne uitiam fane. At verum odium, & peccatorum detestatione aequâ necessaria sunt, & præter hæc, vera ad Deum conversione: illa verò cum repente acquiri non soleat, nec illis quoque, nisi notabilem vitæ imitationem praemiserint, à Deo infundi credendum erit.

Sed quis tibi, D: Gummarus, id revelavit? quod si diem contractum præcedentem impenderint in discutiendâ conscientiâ, uter quo statuerit numquam amplius vel secum, vel cum aliâ personâ peccare, sed omnia Dei mandata servare? vel si tantum semel futu-

forum coniugum altera, secum, vel cum sposo peccaverit? differendumne erit matrimonium? iuxta Methodum tuam debet differri, quia pag: 101. 102. fateris argumenta tua locum habere etiam in eo, qui tantum sene peccavit, saltem peccato graviori exerno, quale indubie est una pollutio.

Quid si indicto, & praefixo iam matrimonii die amici invitati sint, convivium paratum, & interim pridiè alteruter sponsorum carnis infirmitate peccaverit, forsitan puella? instet verò sponsus pro contractu matrimonii perficiendo postridie, vel ad præsidia, vel legationis, vel regiæ commissionis causâ discessurus? quid si ex uno concubitu puella sit gravida & interim ille, ac etiam puella sufficienter pænituerint? sed tamen sponsus pridiè, dum de futuro actu coniugali cogitat, peccaverit mortaliter, & interim, ut dixi, aliò ipsum avocant negotia? an dimittendi amici? an exponenda infamiae puella gravida, cuius venter intumescet sponso absente, forsitan non redituro? quid si fratres puellæ putent eam à sponso desertam voluntariè (neque enim pastor sine fractione sigilli confessionis revealare potest causam, ob quam eos nolit coniungere) ac inde periculum sit homicidii, forsitan Duelli? Respondet Gummarus.

Quadragesimò tertio: Quidquid obloquiorum, turbarum, aut incommodi consequatur, iuxta hypotheses premissas, tertiam potissimum, & quartā agendū iudico.

Hypo-

Hypotheses tuas, Eximie Domine, statim videbimus: uti etiam excutiemus alteram tuā assertionem, quā tyrannidem tuam, & tyrannos discipulos tuos excusas, dum eadem pag: 117. dicis

Quádragesimò quartò: Nemo quoque, nisi imprudens, quæ hinc orientur incommoda, imputare poterit Pastori, in hunc modum causam & Dei, & suorum penitentium ritè agenti.

Ergò hactenus iuxta Doctrinam tuam Causam Dei, & suorum penitentium non egit Ecclesia, vel Episcopi, qui ob causam habita paulò antè inter sponsos copula, Dispensant in bannis proximè antè diem cinerum, ut possint contrahere antè quadragesimam, ne forte pendente quadragesimâ intumescat uterus, & exponatur infamiae puella. Causam etiam & Dei, & suorum penitentium non ritè egit S. Carolus, qui tot consuetudinarios, de quibus dixi suprà, permittit absolvi, Modò pollicentur, se officium præstituros deinceps, vel vitaturos occasionem, vel officium, in cuius exercitio pluribus annis peccaverunt, deserturos. Non egit etiam causam & Dei, & suorum penitentium dum eos, qui datam in priori confessione fidem, de deserendo consortio faminarum, cum quibus perdurarunt in tactibus impudicis, absolvi permittit statim, si citra periculum, aut infamia absolutio procrastinari non posse: Permittit, inquam, Si promptos se exhibeant ad excipienda consilia, quæ confessarius iudicabit necessaria aduersus relapsum: Non egit etiam causam & Dei,

& fidelium Paulus, qui *Prima ad Corinthios 7. v.9.*  
Scripsit: *Si se non continent, nubant; melius est nubere;*  
*quam uni:* Non vis autem ut puella; quæ se  
continere non valet, nubat: non vis ut nubat:  
sponso iam ad exterias partes discessuro, &  
fortè post multos menses non redituro, nisi  
ille præmiserit notabilem vitæ mutationem:  
aut fortè vis, quod eum innupta sequatur,  
expectatura interim, quo usque dictam vitæ  
mutationem præmiserit: aut certè, si non  
sequatur, expectare debeat reditum, incerta,  
an interim non mutabit voluntatem, & cla-  
matura cum illâ:

*Cur mihi discedens toties hec verba dedisti:*  
*Phylli, fai exspectes Demophoonta tuum?*  
*Scilicet exspectem, qui non reditur abisti,*  
*Exspectem verbis vel a negata tuis.*

Et interim jam grida non invenit, cui  
nubat, nihil etiam illa te movent, vis procedi  
iuxta Hypotheses tuas: illas videamus.

## CAPUT IX.

*Proponuntur Hypotheses Gunnari, &*  
*qualiter eas explicet.*

**Q**uadragesimò quintò: *Tertia hypothesis:*  
numquam licet uti materiâ dubiâ, dum certa  
haberi potest. *Confessarius igitur iusto relictio dubio,* an  
dolor penitentis, & propositum sufficient, nequit eum sic  
absolvere, si debitâ dispositionis certitudinem procurare  
potest

*poteſt Methodi pag: 2.*  
Quadragesimò sextò: *Hypothesis quarta:* non  
licet administrare Sacramentum, dum materia est  
verè dubia, quamquam alia haberri nequeat, nisi tam  
irreverentia periculum, quam alia inde secutura incom-  
moda, iusta excuset necessitas. *Vnde illum de cuius sijn-*  
*cero dolore vel proposito meritò dubitatur,* absolvere  
citrà necessitatem nequaque licet: *sicut nullâ urgente*  
*necessitate, liquore, de quo, an sit aqua, ambiguar,*  
*baptizare inhibetur. Secus dicendum dum iusta neces-*  
*sitas ( qualis dubio procul est extrema ) aliud cogit,*  
*qua: v: g: alioquin absque baptimate quisquam disces-*  
*furus foret.*

Quid per iustum necessitatem distinctam  
ab extremâ intelligas, explicas in appen-  
dice secundâ ad tractatum tertium, nempe  
periculum mortis in paenitente, sed nondum  
proximè instantis; pergis pag. 3.

Quadragesimò septimo: *Que contra hanc hypo-*  
*thesim statui possent obiectiones, sub finem tractatus*  
*secundi, & tertii refelluntur, & non parum elucida-*  
*tur hanc hypothesis.*

Sub finem tractatus tertii nullas invenio  
obiectiones contrâ hypotheses, quæ refellan-  
tur, sed solum dubia quinque circâ examen  
confitentium; item tres appendices ad hypo-  
theses. In primâ afferis hypothesis tuam ter-  
tiam adeò esse certam, ut à nullo Theologo  
negetur. Ego autem dico adeò esse falsam in  
sensu, quo eam applicas, ut nullum, qui ante  
has novitates scriperit, sis inventurus, qui in  
sensu

sensu tuo illam admiserit. Sensum tuum paulo post ex te ipso dabimus.

In appendice secundâ explicas (vt dixi) quid intelligas nomine *Iusta necessitatis*. In appendice tertîâ quæris, an moribundus, qui nulla signa debit, absolvî possit. Ad finem tractatus primi invenio obiectiones novem, quibus quam miserè responderis, iam magnâ ex parte visum est, & hic breviter videbimus percurrente singulas, & examinando aliquot, quæ suprà non sunt tactæ; obiectione prima quam habes pag: 125., est hæc:

*Fieri potest ut consuetudinarii tempore dilata absolutionis moriantur. Responsiones tuæ ad hanc suprà sunt refutatae. Obiectione secunda est: Multi viri docti, & probi aliâ praxi usi sunt, & hodie utuntur. Respondes: Non quid fiat, ast quid factum oporteat, inquire, & teste Bellarmino, sequenda est pars tuior, nec respiciendum, quid multi hoc tempore dicant. Quasi vero tuæ novitates niterentur certis principiis, & non etiam improbabiliſimis.*

Obiectione terția est: *Consuetudinarii dimissi non redibunt, sed ibunt aliò ubi absolventur.* hæc obiectione æquè premit in pænitente qui semel tantum peccavit, & cui vis differre absolutionem donec egerit omnia, quæ requisivisti. Respondes vero: *Hanc obiectionem esse meticulosam: & ita Romano Catechismo contradicis, vt suprà ostensum.*

Obiectione quarta est hæc: *Consuetudinary iuxta hanc Doctrinam vix ymquam poterunt confiteri,*

cum

*cum antè confessionem vix ymquam erunt dispositi scilicet requirimus. Ad hanc obiectionem responde pag: 128*

Quadragesimò octavò: *Qui confessionem, & absolutionem sat discernit (alud enim à confessione est abjutio) facilè hanc obiectionem explicabit: consuetudinarii quicumq; simulatque seriam confessionem meditatur, prudenti confessario statim, & candidè confiteantur, hoc est confessario, quem ex multis prudentiorum diligent, sinum conscientia sua sincerè aperiant, non ut illic absolutionem referant, sed ut vulnere suo utrumque detecto, discant à confessario, quomodo medelam adhibeant, quæ peccatis iam aperitis conversionem si am inchoent, & quo pacto se absolutione dignos reddant.*

Ergò confiteris, quod vix ullus consuetudinarius poterit absolvî, imò numquam extrâ casum periculi mortis, nisi exuerint consuetudinem, præmisserint notabilem vitæ mutationem, fuerint valetudini spirituali restituti, ut patuit ex tuis dogmatibus suprà relatis. Hoc autem contradicit S. Carolo, uti suprà vidimus.

Obiectione quinta est hæc: *Moleſtum est nimis Doctrinam hactenus traditam ad proxim deducere. Molestiae speciem vidimus cap: præcedenti in causâ sponsorum: addo nunc: quid si quis in Angliam navigaturus sit vbi non copia confessarii? quid si iter facturus, & forsan latrones in viâ reperturus? ob hanc causam S. Carolus statuit Concilio quarto, vt talis antè discessum confiteatur, & communicet. Quid*

H

si

Si descendendi necessitas pridiè tantùm super-  
venierit, vel à biduo, nec sat tempus ea, quæ  
requiris, præmittendi? nonne verè molestum  
est methodum tuam ad praxim dēducere?  
respondes

**Quadragesimò nonò:** *Si quid forsan molestia  
occurrerit, principio esse videbitur: ast hac in mag-  
nam post abibit commoditatem; siquidem hac praxis in-  
ductura est veram conversionem, & frequenter pro-  
videt impeditura relapsum.* Atque ità nec times  
mortis periculum, non times, ne non redeant,  
ne transleant ad partes hæreticorum, et si (proh  
dolor!) iam nimis multi sine absolutione mor-  
tui sint, iurarint alii, quod non amplius con-  
fiterentur, quod fierent hæretici..

**Obiectio sexta hæc est:** *Non postulatur ista mu-  
tatio morum post consuetudinem ad venialia, ergo neque  
post consuetudinem ad mortalia.* Respondes pag:  
143.

**Quinquagesimò:** *maliitia mortalium utpote  
longe immanior maius postular odiū, & detestati-  
onem, tum etiam maiorem recidivæ cautionem, &  
quod ex his consequitur, propositum firmius: quare cor-  
ruit, ut minimum, illatio argumenti, quod opponitur.*

Nemo negat requiri maiorem detestationem: sed quid indè? an præmittenda sint  
omnia illa, quæ requiris, & quæ non requiri-  
rit S. Carolus?

**Obiectio septima hæc est:** *Christus Dominus  
Sto. Petro dicit, fratri dimittendum usque ad Septuage-  
sies septies.* Respondes: *venia, & absolutioni semper  
relinquitur*

**relinquitur locus, modo constet, quod ritè sit dispositus..**  
Promiseras pag: 3. quod refellendo obiecti-  
ones non parum elucidaretur quarta hypothe-  
sis tua: hactenùs nihil video elucidationis.  
Transeamus ad octavam, quæ sic habet:

*Apostoli tot millia hominum olim converterunt, quos  
& repente baptizarunt. Respondes: aliud postea  
risum Ecclesie; quorsum enim illius, si i am sub:tō passim  
confutudinarios converti creditisset, institutum, quo  
postmodum tam diuturnam, totque annorum peniten-  
tiā peccatoribus iniunxit?*

Contradicis Catechismo Romano, sanctis  
patribus, & canonibus antea allegatis: ex qui-  
bus constat planè esse falsum, quod absolutio  
Sacramento, de quâ agimus, fuerit dilata,  
quousque tot annorum impleta esset pæni-  
tentia. Obiectio ultima: *Si vera sunt, que hacte-  
nus traduntur, confessarius non poterit omnes die pra-  
sertim indulgentiarum ad Sacramentum penitentiae  
accedentes absoluere.* Quis docuit omnes esse ab-  
soluendos, ut hanc obiectiōnem fingeres &  
sed ais

**Quinquagesimò primò:** *Nescio, quam cæcus  
quosdam affectus impulerit, ut quosvis tali indulgenti-  
arum die absolvere ausifuerint, eo quidem usque, ut  
non ita pridem penitentium confessiones dimidarent,  
& semiconfessos (reclamante nequidquam penitentium  
conscientia) absoluenter. Proba hanc calumniam,  
vel revoca.*

Hactenùs nihil in obiectiōnibus, & respon-  
sionibus vidi mus, quo hypothesim tuam

quartam elucidares. Sed lucem dabunt obiectiones, & earum resolutiones, quas adhibes in secundo Tractatu pag: 157. usque ad pag: 213. ex quibus patet te, vel nihil dicere, vel peius, quam anteā, impegnisse in doctrinam Catechismi Romani, S. Caroli, & correctionem libri P. Gabrielis.

## C A P U T X.

### Examinantur obiectiones factae, & resolutiones datae in secundo Tractatu.

**O**biectio prima est: dimiso sine absolutione penitente revelatur confessio, si dimissus non auit communicare; respondes primò pag: 188.

Quinquagesimò secundò: Posset quidem illa ab absoluiri ne repulso forsan tegi, tam publicè, quam privatim suadendo, ne optimi quidem ipso confessionis die communicent. Medela insignis: vxor, maritus, & familia, frater, & soror, domicella, & ancilla vadunt simul, ut lucentur indulgentias: vni illorum, quem putas optimum, suadebis, ne communicet? quid alii suspicabuntur? sicne, ut unum tegas, expones multos periculo gravissimæ suspicionis, quæ nata est aversiones, & dissensiones generare in familiā? quid si sponsus & sponsa optimè dispositi communi pacto, certo indulgentiarū die, vel alio solemni communicare statuerint, quod maiori cum fructu matrimonii Sacramentum suscipiant? suadebisne sponsæ, quam putas omnium

omnium optimam, & quæ ex causâ mutuantur matrimonii fidem tibi detegere non vult, ne communicet? quid suspicabitur sponsus? innumera alia incommoda possunt contingere, sed respondes secundò:

Quinquagesimò tertiod: si lutionis quoque loco ad obiectiōnē reponsum fū sit non male, quod Catechismus Romanus, aum de satisfactione agit, panitentia publica meminit, quod etiam in occultis criminibus, quæ graviora essent, interdum fieri solitū erat. Quid solitū erat fieri? an ut optimo cuique suaderetur, ne communicaret, ut vnius repulso tegeretur? an verò solitum erat fieri, ne absoluarentur penitente pénitentiā? hoc est enim, quod dixisti sapientius in Methodo pag: 84. & 149. in praefatione apologetiā, & in apologiā pag: 9. & sequentib; visne vt optimi quique non absoluantur? hoc enim postulat argumentum tuum. O miser dialectice, si hoc non vis, & argumentum tuum tamen eò pertinet: vis, ut non communicent, & hoc arguento publicè pénitentium pro occultis criminibus? sed æquè peccas. Publici pénitentes noti erant, vir radebatur, mulier mutabat habitum: solū poterant certis diebus anni percipere eucharistiam: vis ergò in numerum eorum, qui pro occultis quidem, sed gravissimis sceleribus arcebantur ab eucharistiā, redigere alicuius peccati minoris, ac purè interni reum.

In obiectione secundā nihil dicis, nisi quod aliquando possit confessarius agere cum pénitente

pitente de rebus in confessione auditis. Hoc quoad publicos peccatores, & publicam pænitentiam agentes norunt omnes antiquitatis periti, at agas tu cum occulti criminis pænitentibus tuis. Discurre quamdiu vis de rebus in confessione auditis, revoca sœpè in memoriā actus, & cogitationes turpes; sed vide ne caput tuum in torrentem omnium Theologorum impingas. Interim, quid hoc ad elucidationem hypothesis tertiae vel quartae?

Sequitur obiectio tertia, de qua pag: 190. ita scribis: *Obiectio tertia contrà hypothesim quartam potissimum: penitens pendet dubio de dispositione habere ius ad absolutionem.* Respondes: nullà premente iusta necessitate nibilo plus iuris habet dubiè dispositus penitens; ut absoluatur, quam cætchècumenus, ut citrà necessitatem baptizetur liquore, de quo ambiguntur, an sit aqua. Facile transiret hæc responso, nisi constaret, quænam requiras ex parte pænitentis, ut dubium illud tibi tollatur. Vidi mus illa suprà. Et paulò infrà patebit, te talem de dispositione ipsius requirere ceritudinem, qualem rex requirere de fidelitate eius, quem vult præficere castro. Hoc verò nullus hactenùs Theologus docuit: nec istam requirit S. Carolus, aut S. Patres, vel Romanus Catechismus: pergis tamen, & audacter affirmit:

Quinquagesimò quartò: *Ipsa ratio, quæ astrin git inter duo mala fluctuantem, quod illorum minus est eligere, ac prouidè favere reo, ipssima cogit, ut stante*

*flame dubio differat absolutionem confessarius; etenim magis favere pænitenti non potuerit, quam differendo absolutionem: Hoc probas exemplo medici, qui omisso medicamine seculo non prescribet periculofsum: quod etsi posset quodam eventu prodesse, natum tamen est valde multos in circumstantiis similibus interimere.*

Peccas iterum in logicam, Eximie Domine, & vitium committis, quod vocant petitio nem principii: probare te oportet, quod Doctrina S. Caroli, & Romani Catechismi, quæ præxim tuæ Methodo contrariam tradūt in tam multis (quæ vidimus, & iterum vide bimus) valdè multos nata sit interimere.

Obiectiōnem quartam sic formas: *Index in foro externo debet secundum allegata, & probata iudicare, ergo confessarius debet penitentem absoluere, dum dicit se esse dispositum; sic verò responsonem inchoas:*

Quinquagesimò quintò: *hic obiectiōnis scopus est, ut ostendatur confessarii manus esse, pænitenti absolutionem impendere, quando se ritè dispositum dicit, quod penitens uti seipsum accusat, ita & in suâ causâ testimonium dicat; nec obstat quod confessarius norit pænitentem esse imparatum: scientiâ quippè illa, inquiunt, habenda est tamquam privata, quâ, in ferendâ sententiâ, uti interdicitur.*

Rursus calumniaris, eximie Domine, qui sunt qui dicunt, confitentem, quem confessarius privatâ scientiâ scit imparatum, esse absoluendum? impendis tamen quatuor paginas, ut probes, quod

quod confessarius absolvere talem non possit. Non erant tibi meliores studii horae? aut credet lector fuisse in sequentibus?

Obiectione quinta est: *Si non liceat extrā necessitatē absolvere penitentem, de cuius dispositione dubitatur, numquam licebit eum absolvere, quia semper manebit tale dubium, cum dispositio sit in animo penitentis.*

Respondes: suffragabor facile hinc confici, quod adipisci nequeamus certitudinem omnimodam, immo nec eam, quam physicam vocant, cuiusmodi parari potest de materiā baptismi, Eucharistie, aut alia sensibili. Et sic destruis comparationem, quam paulo dū ante dedisti ad obiectionem tertiam.

Quinquagesimō sextō: sed, inquis, quam optimè componitur certitudo moralis, qualem citrā dubium postulabit rex de fidelitate gubernatoris, priusquam illum admovebit moderationi arcis, vel civitatis, à qua pendet regni salus. Siquidem cupiet esse moraliter certus quod illi non sit animus regnum prodendi, praesertim, si nil aliud urgeat. Neque premat necessitas illum præ ceteris ad id muneris evehendi: quamquam igitur ille ipius animus seu voluntas intus lateat, certitudo equidem moralis haberi potest. Et enim sicut interna alterius animi dispositio alteri certo cognita secundum se esse nequit, ita signa externa patere possunt, & percipi, que eam dispositionem morali testentur certitudine.

Prosequeris per similitudines: verba sapè fallunt: deinde plura ad hoc exigimus, dum persona statuta maiorem præcautionem requirit, & tertio maximā admittendum sollicitudine, dum his omnibus accedit,

quod

quod persona, de cuius fidelitate agitur, ob antē alla singulariter inconstitutio, & infidelitatis suspecta est.

Quid adhuc exigas, docebit probatio, quæ sequitur. Nullo negotio hac tria probaverimus: primum quidem, magnam pecunia summam, praesertim si non sit numerata, nemo citrā necessitatē concedet peregrino cuiquam, & ignoto, et si nihil illius se furari velle asseveret. Alterum non minus clarum: sumam dictam minus committet persona peregrina, & ignota, si illam pecuniam aegre novit: tertium denique sic monstratur: quam maximè quis alienus erit, ut homini peregrino, ignoto, & indigo pecunia custodiā demandet, si preter hac omnia noverit quoque frequentia eius furtū.

Hic tandem est illa elucidatio, quam promiseras: aut potius abolitio Sacramenti penitentiae, quod tollere decreverat conventus Gallicanum anni 1626. cuius praecipuus erat famosus ille, Abbas Sancyranus, & in quo conclusum fuit, cautiū agendum esse quam haeretici haec tenū egissent, ideoque non negandum aperte illud: sed reddendam eius susceptionem adeò difficultem, ut paulatim exolum Sacramentum fieret, & evanesceret. Persuadendo etiam, ne Religiosis, ut sacrilegè absoluenteribus, confiterentur.

Vide modò, an eorum intentionem non exequaris, vel Sacramenti usum aboleas. Vis certitudinem de conversione, seu dispositione talem, qualem rex exigeret de fidelitate eius, quem vult arti præficere; visne ergo

ergò non ab ipso sed ab aliis inquire de vitâ ; & moribus confitentis , priusquam absolyatur ? visne à familiâ , vel familiaribus eius personis discere , an consuetudinem alicuius peccati exuerit , novamque induerit ? an consuetudo peccandi cesserit violentia pænitendi ? an per virtutes theologicas ad iustificationem necessarias fuerit conversus ? hæc enim omnia , & alia plura requiris anteā . Iam verò requiris istorum probationem per externa signa , quæ moralem testentur certitudinem .

Quod si pænitens dicat se suggesta aduersus relapsum consilia exequi , se à tanto tempore à tactibus impudicis cum fæminis abstinuisse : differetne absolutionem , donec per signa externa id tibi constet morali certitudine ? cur enim magis credes pænitenti se ita fecisse afferenti , quam dicenti , se de offensâ Dei dolere , paratum servare mandata , exequi consilia à confessario suggerenda ?

Rursus:undè scies , an actus illi processerint ex animo charitatis , aliarumque virtutum Theologicarum , nisi ex nudâ assertione confitentis , & animi sui motus per verba aperientis ? quis novit , quid sit in animo , nisi ipse confitens , dicente Paulo 1.ad Cor: cap: 2. v. 11. *Quis hominum scit , quæ sunt homini , nisi spiritus hominis , qui in ipso est ?*

*Verba* , inquis , sèpè fallunt . Planè sèpè fallunt alterum , qui videre nequit loquentis interi-

ora;

orâ ; indè fraudes , & mendacia . Sed falluntne illum qui profert , & qui quod loquitur , intelligit ? credisne illum , qui discussâ conscientiâ peccata confitetur , ut veniam impetrat à Deo , interiora conscientiæ vidente , velle fallere confessarium : & cum rubore , naturæ repugnanti , violentiam inferre , ut misericordiam consequatur , vt maiorem Dei iram provocet aduersum se ? vide , eximie Domine sis de eorum numero , de quibus Paulus ad Rom: 1. evanuerunt in cogitationibus suis , & dicentes se sapientes stulti facti sunt .

Nonne stultum à confitente exigere talem de conversione certitudinem , quemadmodum de fidelitate exigeret ille qui magnam pecunia summam , presertim si non sit numerata , circa necessitatem crederet peregrino cuiquam , & ignoto , et si nihil illius se fvari velle asseveret . An ignoto , qui unum tantum peccatum commisit (de illo enim agis primo membro) aut etiam confitenti plura , & afferenti se nolle amplius peccare , non credes absolutionis beneficium , quia tali non crederes pecuniam non numeratam ?

Evanescis in cogitationibus tuis , eximie Domine , etiam in membro secundo , in quo ais :

Quinquagesimò septimò : *Sumnam dictam minus committet persona peregrina , & ignota , si illam pecunia egere novit . Non absolves ergò illum , quem novisti egere Dei gratiâ , quam sibi per absolutionem impetriri humiliter rogat ? iterum dico , evanescis : etiam in testio mem-*

bro', in quo tandem agis de eo, qui saepius peccavit, & dicis:

Quinquagesimò octavò: quam maximè quis alienus erit, ut hominiperegrino, ignoto, & indigo pecunie custodiam demandet, si præter hac omnia non verit quoque eius furtæ frequentia: non absolues ergò cum qui saepius peccavit? Divus Thomas forum internum ab externo distinguens, ait: *In foro externo creditur reo loquenti contrà se, in interno creditur penitenti pro se, & contrà se.* Opus: 22. cap: 3. 4. in 4. dist: 17. 4. 3. art: 3. & 4. quæst: 5. ad secundum & quartum, quodlibet 1. quæst: 6. art: 3. vide ergò quomodo cum D. Thoma conveniat Doctrina tuæ Methodi, in quâ pag: 89. quæris: credendum ne penitenti consuetudinario, se verè conversum esse afferenti, et si nulla preiuerit vita mutatio, saltem sifincerius, & proindè nolle decipere, vocatur? Respondes vero

Quinquagesimò nonò: afferunt uonnulli credendum esse tum ad minus, cum penitentis candor, & sinceras noscuntur: quid enim fides negetur illi, cum toto se corde dolere de præteritis, velle futura cavere, ad occasiones viuandas paratum, inò ad media à confessorio suggestenda aduersus periculum relapsus accipienda promptum se affirmet, & exhibeat? nihilominus respondendum est, univerſa hæc non facere satis. Non ita S. Carolus, qui tot, & tam multorum peccatorum reos absoluī permittit, si promittant se officium facturos, deserturos occasionem, fecuturos consilia confessarii. Nec Catechismus Romanus in quo n. 82. de multo-

multorum peccatorum reis, & raro confitentibus dicitur: si affirmaverint se in discussiendā conscientiā omne studium & diligentiam contulisse, & confessarius iudicaverit, neque in enumerandis peccatis diligentiam, neque in derestantis dolorem omnino defuisse, absolvī poterit.

Sexagesimò. Tandem responſionem ad quintam obiectionem, & allegatâ mutui similitudine, ita concludis pag: 200: *quod igitur propriâ in causâ deceptionis periculum facile apprehendit confessarius, hoc & in Dei, & salutis proximi negotio eâ, quâ oportet, proportione serratâ non minus percipiat, quemque se praefat in caducis, eum se exhibera debet in aeternis; square eam, ut minimum, quam in propria causa expereret certitudinem, hic quoq; comparare satagit.* Eximie Domine, dum confiteris, tantane tu certitudinis, de dispositione tuâ, & cæteris quæ requiris, exhibes signa, qualia ab antè dicto depositario postulasti? nullum ergo nisi in casu extremæ necessitatis absolues, quia extrâ istum casum apud ignotum pecuniæ non numeratam non depones.

## C A P U T XI.

*Examinantur reliquæ obiectiones, & solutiones, quibus suas hypotheses elucidat Gummarus.*

O Bieōtio sexta: *consectaneum hinc videtur, quod ille, qui vel semel peccavit mortaliter, peccato saltem externo, & graviori, non poterit absolvī prima*

prima vice, quæ confessariam absoluendus accedit. Hanc obiectiōem roburabit hypothesis quarta. Deinde sic pergis: quod tamen magis premat obiectio, cogitamus loca S. Scripturae, quibus Tract: I. docemur conversionem tantum non acquiri celeritate, ut vulgo creditur. hac sane si recte calculum ponimus, non solum agunt de consuetudinariorum conversione, neque testimonia sub titulo primi argumenti contraria subitaneam consuetudinariorum conversionem allegata innunciantur.

Sexagesimò primò sic respondes: Responsi loco sit, quod penitens priusquam confessarium petiaturus absolutionem primum accedit, potest suā sponte egisse ea omnia, quæ confessarius absolutionem dilaturus praemittenda absolutioni iudicaret, ac proinde eo eventu absolutione huic penitenti ne primā quidem vice differenda fuerit. Nullum ergo qui vel semel tantum peccavit peccato graviori, quale esset indubiè una pollutio, unum verbum blasphemum, absolves, nisi omnia præviè præstiterit, quæ requiris. Iterum dico, nec ita S. Carolus, qui vnius peccati gravioris, & externi reo nullibi absolutionem differri iubet, nisi in casibus permanentis iniustitiae.

Accipe illos, primò ex Instructionibus: eos præterea, qui contractus nostris Conciliis provincialibus nominatim prohibitos, vel per se alias illicitos exercent, non absolutat, nisi prius rescindantur, satisfactioque pro iis praefetur. Contractus illi, quos nominatim prohibuit, referuntur Concilio primo titulo de usuris, eorumque prohibitio- nē in posterioribus Conciliis renovavit. Se-

cundò

cundò in eisdem Instructionibus ait: Sed ne quidem iubilci alicuius tempore, qui ea, quæ ex edicto publico, monitoriove Papali, vel archiepiscopali notificare tenebantur, subducuerunt, ullo modo absolvantur, nisi denuntiationem ritè prius fecerint, ac omnibus, ad quæ ob damnum inde secutum obligati sunt, satisficerint. Eiusmodi monitorii usum hactenus nullum audivi: ignoro, an sit in Belgio.

Duos alios casus invenio in Concilio primo titulo quæ pertinent ad sacramenti penitentiae administrationem. Caveant, inquit, confessores, ne anie debitam satisfactionem illos absolvant, quibus cum facultas adiut aliena restituendi, vel legata, quæ ad pias causas facta sunt, persoluendi illisque, ut id facerent, superiori confessione preceptum sit, prestare tamen neglexerint. Ecce nihil hic requirit, etiam ab iis, qui in priori confessione moniti sunt, quam ut aliena restituant, vel pia legata persolvant. Alter casus, de quo sic scribit ibidem: Et quia interdum in falso testis manu est, ut non solum facultibus homines, sed etiam existimatione, aut vitâ spolientur, idcirco neminem absolvant, qui falso testimonium in iudicio cum alterius detimento dixerit, nisi prius damno & violata illius existimationi satisficerit.

Habes hic reum gravissimi, & exterioris peccati mortalis, qui ut absoluatur, non aliud requirit S. Carolus, quam ut damnum illatum resarciat: & consequenter damnat quidquid de eo, qui tantum semel peccavit peccato graviori externo, scripsisti pag: 200. 201. 202. 203.

Obiectio

**Obiectio septima**, quam formas pag: 204.  
est: non potest assignari regula generalis pro acquirendā tali certitudine, ergo male talis certitudo requiritur. Audiamus lepidam responsonem pag: 105.  
non est, quod à Theologo huiusmodi regula tam generales in similibus extorqueantur, cum Theologi munus sit potius alios docere, quod in huiusmodi frequentissime orato opus sit. Cur ergo non præviè satis orasti, ut tandem nobis daret regulam, quam hucusque pro elucidatione tuarum hypotheseon expectavimus? Sed fortasse postquam hanc pagellam scripsisses, orasti: nam pag: 206. scribis.

**Sexagesimò secundò**: Nullane ergo sunt, quæ huic certitudini comparanda conducant? sunt indubie, quibus ea quoque accenseas, quæ in responsonie ad postremam obiectionem. Videamus illa. Obiectio postrema, seu decima hæc est. Cuique, aiunt, in sua arte credendum: sed doctrina hæc confessariis longaborum experientia, & usu edictis plus ceteris displaceat, suspecta igitur est hec doctrina.

Respondes: dicam quod res est: si quid huic doctrina opponetur, id potissimum fore exspecto ab iis, quibus iam pridem in consuetudinem abiit, quoscumque ferme absolutionis beneficio indiscriminatum donare, modò placeat vel semel proloqui: doleo de peccatis meis, vel ad interrogationem: dolesne de peccatis? proferre istam voculam: doleo.

Quo factum est, vt inter illos (blandos dicam, an immites confessarios?) nonnullos comperias, qui cum plus triginta annos a confessionibus fuerint, numquam ne scelerissimo absolutionem distulerint, nedum negarint.

rint. Calumniaris D: Gummare: calumniæ pæna est infamia; ab hâc te purga.

An ergo tandem nullam nobis, vel discipulis tuis dabis regulam pro obtainendâ certitudine, quam requiris hypothesi tertiatâ, & quartâ, vt tandem sciant, quandonam absolvere pænitentem possint? hanc enim expectabam, dum legi tuam obiectionem septimam. Prohibitne tandem? prohibit omnino: ecce pag: 206.

**Sexagesimò tertio**: expendantur signa penitentia, considerenturque, num talia sint, quæ sufficiencia duceres in tuâ ipsius causâ, si foret non vulgaris momenti. Talia nempe, (sic enim dixisti) qualia rex exigeret de fidelitate eius, quem vellet arcere preficere, aut quam, deponens pecuniam non numeratam exigeret à depositario ignoto, & pecunia indigo. Ergo discipuli tui antequam absoluant pænitentem suum, adeant Regem, & requirant, qualem exigeret de præficiendi fidelitate certitudinem: numquam etiam absoluant, nisi in casu extremæ necessitatis, quia extrâ illum casum numquam deponerent apud ignotum, & indigum magnara pecunia non numerata summam.

Restant obiectiones octava, & nona, earumque solutiones perpendendæ. Obiectio octava sic habet: absolutionem saltem differri non poterit, quando penitens alias intrâ tempus ab ecclesiâ præscriptum communionem paschalem sumere nequibit.

**Sexagesimò quartò**: Respondes: non parum aduersus hoc incommodum potest vigilancia Pastorum,

& concionantium sollicitudo , iterum , iterumque dicendo è fuggesu , & docendo sèpè in Catechismis , quas ob causas differenda sit absolutione , atque una monendo , ut qui sciunt , dubitantve , num eiusmodi impedimentis fini irretiti , tempus pasche præveniant , & si opus erit , tempore notabili . Monendi item sunt , totum quadragesimale jejuniū huic singulariter opportunum esse , & à consuetudine non minus laudabilis , quam recta quæsi huic rei consecratum .

Iterum laboras crassâ antiquitatis ignorantia & contradicis S. Carolo : antiquitùs confitebantur initio quadragesimæ , & singulis eius diebus Dominicis communicabant , vt gratiōra forent Deo ieiunia , & satisfactiones (: nam teste Catechismo Romano dicto cap: 5. n. 103. vt quis satisfaciat , oportet , vt iustus sit , & Dei amicus:) & puriores ad solemnitatem paschalem accederent . Hoc in vsum revocari vult S. Carolus Concilio provinciali 4. parte: 3. in Aduentu , inquit , vt Silvius Pontificis decretum est (: præfuit autem hic Pontifex anno 536 .) & præterea in Quadragesimā singulis diebus Dominicis Eucharistiam anticipere studeant . Et in appendicibus sub titulo : Instrunctiones predicationis Verbi Dei , ait : concionator inducere studebit , vt populus in Quadragesimā , & Aduentu confiteatur , & sacram Eucharistiam singulis diebus Dominicis sumat , quod antiqua pietatis fidelium est .

Tu verò præclare animarum medice , cupis hoc abolitum , statuendo quadragesimale tempus pro præparatione ad absolutionem demum

75  
demum in paschate obtinendam : ieiunia , & satisfactiones reddis minus utiles , quia pauci ad eum gradum contritionis pervenient , vt sine Sacramentali absolutione fiant iusti , teste Romano Catechismo dicto cap: 5. n. 46. & 47. solum ab istâ singulis diebus Dominicis , Eucharistiae perceptione excludebantur publicè pénitentes , quibus tamen præbebatur in cœnâ Domini .

Obiectio nona est : transeuntibus , & peregrinantibus ad loca pia absolutione differri nequit , quia ad eundem confessarium redire non poterunt .

Sexagesimò quintò : Respondes : confessarius assimilabitur medico corporali , & tali panitenti suggeret opportuna aduersus illius agritudines medicamina ; suadeat quoque , vt ubi mòraturus est , confessarium deligat , quam poteſt , prudentissimum ; quem nihil agritudinem suarum celest , sed remedia sibi suggesta enarrat : atque hoc maximè ab ipso expectaturus , quoad valeutini fuerit restitutus .

Contradicis iterum Doctrinæ S. Caroli statim referendæ . Insuper : quid si vir , & uxor (vt sèpè fit) vel tota familia , vel vicini , & noti peregrinentur ? hærere tamdiu in loco nequeunt : vir uxorem , frater sororem , vicinus vicinam , non communicare aduertit : nonne hinc gravissimi delicti suspicio ? quid de uxore cogitat vir , quid de viro uxor ? nonne gravissima adiungit pericula dissidiorum ? respondebis id , quod dixisti de sponsis : quid quid turbarum , obloquiorum , incommodi sequatur ,

iuxta hypothesis tertiam potissimum, & quartam agendum iudico.

Sed audi S. Carolum Concilio 4. tit: de religiosis peregrinationibus : *Cum primum ad peregrinationis locum peruenierit, confessario probato constitetur, & missam Sacerdos celebrare, & sacram communionem sumere Clericus curerit. Et paulò post. Ad sacra loca, qua Religiose visitaturi sunt, cum pervererint, nihil aliud sibi propositum habeant, quam ut aui iubilatum, indulgentiamne consequantur, aut vota sancte persolvant, sacras Reliquias, & sacra loca pie visitent, ab omni curiositate, peculiardique occasione abstinentes. Itaque primò confessio, cum sacram Eucharistiam sumpserint, tum Religiose statas Sanctorum ecclesias visitent, ita ut ex ipsorum locorum admonitione maior affectus in ipsis resurgat, ad excitandem pietatem, & Sanctorum, quorum auxilium implorani, orationibus adiuventur.*

Vereor, ne ista tibi, & tuis non placeant, sed potius Monita pseudo-salutaria, licet absolute per iteratum Sacrae Congregationis decreto condemnata unà cum appendice suâ aduersus B: Virginis Defensionem, ex scriptis D: du Bois in lucem ab aliquot annis editam.

## C A P U T X I I .

*Parallelum Doctrina P. Gabrielis reprobata, Roma ex eius libro damnato in materia de penitentiâ expuncte, cum Doctrinâ Gummari.*

D Octrina Gummari est iam satis exposita, & collata cum Doctrina S. Caroli, confre-

conferamus particularius cum præscriptis dicti Patris sententii.

1. in damnato S. Gabrielis pag: 23.24.25.. 26. scripsérat: impletionē satisfactionis fuisse per duodecim sœcula necessariam ad absolutionem Sacramentalē. Omnibus istis locis sublata est vox: *necessaria.* Gummarus in præfatione apologeticā, in Methodo pag: 149. satisfactiones fuisse impositas, vt ad conversionem homines rite disponerentur: ergo iuxta ipsum non tantum olim, sed etiam hodie debent annorum tot pænitentia præmitti, quia non alter hodie, quam olim homines convertuntur, quod fatetur pag: 149.

2. In damnato pag: 126. scripsérat: *debere per opera penitentia confidare sacerdoti de interiori contritione.* In correcto deletum: *opera:* & substitutum: *signa,* qualia iuxta S. Carolum sunt, etiam in consuetudinariis, promissio de dimittendâ occasione, implendo officio, exequendis consiliis à confessario suggestis. Gummari ista non sufficiunt, ne quidem in eo, qui semel tantum peccavit, sed semper multa opera pænitentialia requirit.

3. In damnato eadē pag: 126. in verbis citatis requisiverat de interiori contritione. In correcto pag: 116. loco, *de contritione*, positum est: *de dolore,* seu compunctionis gratiâ, quam ex ipsâ confessione colligit S. Leo, & Gregorius antè citati. Gummarius requirit, vt per virtutes Theologicas ad inflatigationem necessarias sit con-

versus, sit valetudini spirituali restitutus.

4. In damnato cādem pag: 126. requisiverat yē per ipsius penitentis externa opera indicaret Deus se eum recipere in gratiam. In correcto eadem pag: 116. delectum, recipere in gratiam: substitutum: se disponit ad gratiam reconciliationis in Sacramento oblinende. Hoc vt appareat subiungo libri proscripti, & correcti integras sententias.

In damnato sic habetur pag: 126. Nisi per opera penitentia Sacerdoti constet in interiori contritione penitentis, quam in ipso operatur Deus, & per quam externis operibus indicat eum se recipere in gratiam, non erit vera absolutio Sacerdotis praesidentis. In correcto autem sic: N si per vera penitentia signa sacerdoti constet de sufficienti dolore penitentis, seu de compunctionis gratia, per quam visitatus à Deo se disponit ad gratiam reconciliationis in Sacramento oblinende, non erit legitima absolutio Sacerdotis praesidentis. Gummarus in Methodo à pag: 52. usque ad 56. requirit, vt dotem justificatio-  
nis adeptus sit per virtutes Theologicas.

5. In damnato pag: 127. tradiderat indi-  
stinctè requisitum esse, vt per opera penitentia purgarentur peccatores antè absolutionem: In cor-  
recto pag: 117. sententia eius restricta est ad  
graviores, aut inveteratos. Gummarus in præfati-  
one apologeticâ vult etiam unius tantum turpis desiderii reum debuisse penitentem bi-  
ennio, antequam absoluueretur.

6. In damnato pag: 130. requisiverat, vt  
pæni-

pænitentes antè absolutionē mortui essent viuiss: in correcto sic: mortui essent viuiss affectu. Gum-  
marus requirit tantum temporis, & tot opera, vt sint valetudini spirituali restituti

7. In damnato eadem pag: 140. postulaverat, vt essent vivificati per gratiam: in correcto scriptum: per suscitantem gratiam, si nondūm inha-  
bitantis, saltem moventis. Gummarus, vt dixi, requirit, vt iustificationis dotem sit adeptus, vt per  
virtutes Theologicas ad iustificationem necessarias, sit ad Deum conversus.

8. In damnato pag: 136. requisiverat, vt pænitens absoluatur, præcaveat confessarius relap-  
sum per plenam vulnerum curationem. In correcto pag: 125. ità expressum: non quidem vt sit ob-  
ducta cicatrix, sed vt absit proximum periculum relap-  
sus. Gummarus pag: 75. 76. 231. usque ad 245: & in apologiā p: 69. similiter plenam vulnerum curationem non obscurè requirit.

9. Etiam dicta libri correcti sententia suf-  
ficit, quod absit periculum proximum relap-  
sus: Gummarus ne quidem adolescentem,  
qui coniugari cupit, si absit periculum relap-  
sus in fornicationem aut aliud peccatum car-  
nis, absolvi permittit, nisi præmiserit omnia illa, quæ requirit.

10. P. Gabrielis in damnato pag: 54. 55. multis conquestus fuerat de praxi absolvendi statim à confessione. In correcto totum hoc expunctum. Similes sunt ferè per totam Me-  
thodum Gummaris querelæ, & calumniæ ad-  
ver-

versus confessarios, qui ante absolutionem non prærequirunt omnia illa opera, quæ relata sunt supra.

11. In damnato p: 159. scripserat, Concilium Tridentinum tum non sustulisse expresse, & de mandato modernam præxim absoluendi, nempè ante actam pænitentiam; preparasse tamen viam, & proiecisse fundamenta antique pænitentia restituenda. In cor- recto p: 144. scriptum: Concilium Tridentinum modernam præxim absolvendi statim post confessionem, quam optimè noverat, non improbase: tamen voluisse quibusdam casibus pænitentias Canonum servari: quia scilicet publicè peccantibus publicam pænitentiam iniungi præcipit. Nullibi autem docet illam absolutioni esse præmittendam, sed potius oppositum tam sest: 6. cap: 14. ubi ponit hunc ordinem: confessionem, Sacra- mentalem absolutionem, itemque satisfactionem: quam sest: 14. cap: 4. vbi requisita ad hoc Sacramentum rite suscipiendum sic exprimuntur: *Dolor animi iunctus cum fiducia divina misericordia, & voto præstandi reliqua, hoc est satisfaciendi, & servandi mandata.* Et eâdem sest: 14. cap: 8. ultima huius Sacramenti pars exprimitur satisfactione. Ipsi quoque Conci- lii Tridentini Patres, Cardinales, Episcopi, Doctores, qui interfuerunt, & scripta reli- querunt, clarissimè docent illam fuisse Tridentini mentem, quam expressi: illos, & eorum verba fuse refert Launoyus Parisiensis Doctor in libro, quem ex professo scrip- sit

fit aduersus Arnaldi Librū de frequenti communica- one. Nihilominus Gummarius pag: 84. scribit

Sexagesimò sextò: Concilium Tridentinum mō- nullas, è quibus maior post baptismum respicendā difficultas nascitur, circumstantias indicat Sest: 14. Cap: 8. sanè, inquit, & divina iustitie ratio ex- igere videtur &c. hinc Sancti Patres multò maiorem, diuturnioremque præparationem atque pænitentiam ante absolutionem à pænitentibus, quam ante baptis- ma à Cathecumenis postulabant. Consule, si libet, Canones pænitentiales, quibus unica fornicatio septen- annorum pænitentiā multabatur. Censet igitur e- amdem fuisse Tridentini mentem, quam di- cit fuisse Patrum antiquorum, & Canonum: & consequentur satisfactionem absolutioni esse præmittendam seu longa illa pænitentie opera, quæ putat, & docet præmissa fuisse per duodecim sœcula. Itaque dum ad eo pe- tulanter, & calumniosè ille philosophiæ ma- gister præco tuus buccinaret: *definante coaxare rane, dum Roma tonat: Nonne meritò reposia- tum fuisse?*

*Fulmine Romano petitur tua; Guminare; proles;*  
*Infaustum perit dum Gabrielis opus.*

*Ergo quod evomit hic, petulanti è pectore traxit*

*Non causa meritorum, sed male livor edax;*  
*Nec non illud, quod antiquus, sed lepidus*  
*Poëta aduersus similem scripsit:*

*Bilis atra limo repletis faucibus; ipse*  
*Ranula sub pudidis semiloaxas aquis.*

## C A P U T X I I I .

Parallelum Doctrina Gummari cum Doctrina Marci Antonii de Dominis hoc saeculo apostate lib: 5.  
de republ: cap: 7.

I. Ille paulò ulterius processit, quam Gummarius, tollendo indulgentias & absolutionis efficaciam: sed ex iisdem principiis, quæ ita tradidit Gummarius, iisdemque mutilatis Patrum sententiis: ut difficulter mihi persuadéam Methodum non esse magnâ ex parte descriptam ex dicto 7. capite, vel saltem ex alio, qui librum vel scripta sua ex dicti apostatae cap: 7.8.12. magnâ ex parte confecit.

II. Ille dicto cap: 7. n: 27. ait: penitentia iniunguntur non solum ut peccatores ligemur, & Ecclesia satifaciant, sed etiam multò magis, ut inde possit ligatum rite, & legitimè absoluere.

III. & ibidem paulò post: penitentia ed servit Ecclesia, ut illa ante omnia penitentie interna aded ad remissionem peccati coram Deo necessaria per externos fructus notitiam colligat.

IV. n:29. penitentia hæc externa fuit semper ab Ecclesia iudicata aded necessaria, vt sine ipsâ remissione per claves nemo possit obtinere. Et quoniam ad veram contritionem non aded facile homo per se ipsum movetur, sed ad eam per istas externas facilius attrahitur, dicitur & Christus dedit hanc potestatem Ecclesia retinendi peccata ad penitentiam & meritò Ecclesia remissionem peccatorum gravium ad ipsam externam penitentiam ecclesiasticam solet laborem reducere, non tamquam

tamquam ad unicum, & singulare, sed tamquam ad maximum & ordinarium peccatorum post Baptismum commissorum remedium.

IV. n:30. sic prosequitur: *hæc porro opera penitentia in verè contritis solent esse propriè fructus & effectus interne penitentia: at vero in nondum contritis possunt, & solent esse causa quedam dispositiva, seu potius conditio ad veram, & necessariam internam penitentiam seu contritionem; nam Deus non sine illâ gratiam peccata detestandi, & destendi solet in Ecclesia sanctâ ordinariè concedere.*

V. n:31. Ait: *Hæc externa adeò laudabilis, aded que salubris, & sapientia necessaria penitentia, est illa in Patribus celebris exomologesis, qua sane exomologesis nota est, ut etiam nostri Romani intelligunt, & volunt ipsa, quam faciunt Sacramentalem, peccatorum confessio, sed est apud Patres ipsa penitentia externa peractio.*

VI. n: 41. *Imago aliqua veteris ecclesiastica penitentia servata videtur; sed ea tota inversa est; à vera enim ecclesiastica penitentia, penitentia hæc nostra pluribus nominibus longissime recessit.*

VII. Sic prosequitur n: 57. *veram penitentiam ecclesiasticam Papatus noster, ipsiusque ministri corruperunt horribiliter, & cum ingenti animarum deceptione, & periculo in aliam transformarunt, quam neque Evangelium tolerat neque Patres antiqui Ecclesiæ pura umquam agnoverunt. Primum..... teriò, quod satisfactionem præpostorè absolutioni postponamus. Quartò quod absolutioni verbali nimium tribuamus potestatem. Quintò demùm: quod fermè tollamus penitentiam,*

plicis, & aboleamus veram penitentiam.

VIII. n: 80. in eis qui sponte se subcicit clavibus, & voluntarie peccatum faciunt, id facit, non ut proximè absolvatur, sed ut ligetur, & penitentia modum accipiat. Penitentiam vero peragit ad hoc, ut solvatur.

IX. De illis, qui sàpè in idem peccatum reincidunt, ait n: 86. tales non modo ab iterata publicâ penitentiâ sunt abigendi, sed etiam à privatâ & secretâ, & longè melius est peccatores consuetudinarios relinquere propria conscientia, quam eos vanis iteratis reconciliationibus lactare, & in peccatis confirmare. Nos vero tales non modo ad confessiones recipimus, & absolvimus, sed etiam praecepimus & comminationibus compellimus. Quod si per aliquot annos sine penitentiâ ecclesiastica manerent, sic melius proprium statum adverterent, & cognoscerent, & serio tandem compungerentur, ac sponte remedium quererent vera penitentia. Cum vero putent se coram Deo satisfacere, quia peccata, quæ adhuc amant, semel in anno confessi sunt, & absolutionem receptorunt: de vltiori resipiscientia nihil sunt solliciti: & hec est ingens perniciose animarum, quas nostra de penitentiâ, falso Sacramento doctrina, & absolutionis ex opere operato abusus in barathrum precipitat aterna damnationis.

X. Qui post seriam, & exactam penitentiam publicam in eadem, vel alia gravia peccata relabitur, non putatur vere penitenti animo illa egisse, & propterea neque ei fidendum amplius censet Ecclesia. Suâ vero frequenti reiteratione severum illudet, operosum remedium vilescit, & contemptui habetur, ut sit etiam nunc apud nos, ubi iam confessiones istæ, etiam si secreta,

tamen ludibrio habentur, quia passim admittuntur omnes, & absoluuntur.

XI. n: 86. Si priuscam veram revocaremus penitentiam, & satisfactionibus ante absolutionem exerceremus penitentes, ut semper fecit Ecclesia, facile tandem agnoscemus, qui veram penitentiam postulant, qui subdolè; neque & illos, & nos ipsos tam duro vinculo ligaremus.

XII. Ait n: 100. Stolidum est, quod per manus impositionem intelligatur in Canonibus Sacramentalis, absolutionis.

XIII. Ex quibus tandem sic concludit n: 103. hinc aperiant oculos nostri prelati sub Romano, animarumque curatores, & planè videant, quam multos decipiunt, cum illis tantam vim, tantamque efficaciam Sacramentalis pradicant absolutionis, cui confisi innumerabiles se in peccatis detinent, fibrique è spe applaudunt, quod Pauci admodum ex Christianis moriuntur, qui ad finem vita acciso confessario, ab eo non obtineant absolutionem, & sic remissionem certam sibi policeantur, & sub ea spe penitentiam penitus in iora vita ab se ablegant plurimi. Et consequentur in barathrum precipitantur. Cogitent etiam serio Illi, qui penitentiam banc ecclesiasticam, & usum clavium penè abiecentur, fidelesque animas insigni contrâ peccatum remedio privaverunt, quo pacto possint tantum Ecclesia bonum ab omni abusu liberum postliminio revocare. Habet in hoc cap: 7. totius Gummariæ Methodi compendium. Quod dictus apostata deducit latius toto illo capite, & iterum varia repetit, cap: 8. & aliqua cap: 12. eiusdem libri

libri 5: & quod notandum, eorumdem fere Patrum Ambrosii, Cypriani &c. citat mutillatas sententias cum Canone xi. dicti Concilii Toletani tertii : denique Gummarus doctrinam P. Gabrielis esse conformem suæ apertere asseruit in Racematoriâ synodo, in quâ hebdomadâ 3. pag: 31. scriptis.

Sexagesimo septimò: vin' scire, ubinam Moralem Christianam hauserit P. Gabrielis ? in crebrâ Iesu Christi Evangelii meditatione. Numquid crederes illum contulisse librum Gabrielis cum Evangelio , cuius , Pater ille in totâ materiâ de penitentiâ, hoc est , à pag: 123. usque ad: 197. vix duos versus citat? Sed qualiter ipsemet Gummarus à sensu Evangelii aberret , docebit Caput sequens.

#### C A P U T X I V.

*Gummarus nec Logicæ , nec Theologie Scholastice principia,nec Sacram Scripturam intelligit.*

Theologia Scholastica ex certis, notioribusque principiis, conclusiones fidé aut mores, seu agenda vel omittenda in ordine ad salutem concernentes, deducit per legitimas consequentias : ideoque necessariò præsupponit exactam Logicæ scientiam, ne erretur in conclusionibus: & principiorum Theologicorum, ne falsa pro veris, incerta pro certis assumantur. Principia , quæ alii loca vocant, numer-

numerantur octo, *Sacra Scriptura, Traditione, Authoritas Ecclesie, Decreta Pontificum & Scholasticorum, ac Ratio naturalis.* Scholastici p: 1. q: 1. a: 9. quibus addi possunt Leges, & Statuta Diæcesanorum , & locorum , quibus quis est subiectus, & quæ non improbat Ecclesia : ista enim non raro obligant in conscientiâ. Sed pro interpretandâ sacrâ scripturâ, Decretis Pontificum & Conciliorum , ac aliis legibus & statutis , particulares sunt regulæ : contrà quas si peccatum sit , corruit ædificium destitutum fundamento.

Quoad interpretationem Scripturæ duas tradit regulas Concilium Tridentinum sess: 4. nullus eam ad suum sensum trahat contrà eum , quem semper tenuit , & tenet Ecclesia. Secundò , re non tradat contrà communem sensum Patrum. Verum nec Patres explicuerunt omnes Sacrae Scripturæ versus, occupati plurimum adversus hæreses, quæ suis temporibus erant ortæ. Et in multorum explicatione non consentiunt vnanimiter.

Igitur si quid pro vero habendum putes , ad alia Theologiæ principia erit recurrendum : nempè videndum , quæ communior Patrum sententia, quid totius Scripturæ contextus magis exigat , quid Scholasticorum præcipue parti, quid rationi naturali sit conformius.

Porrò interpretandarum etiam humanarum Legum sive ecclesiasticarum sive civiliū propriæ

priæ sunt , vt dixi , regulæ. Etenim *scire leges non est* , inquit una ex Legibus , *verba earum tenere* , sed vim , ac potestatem . Et consequenter ex Iuris-consultorum principiis norma petenda est interpretandi leges , & statuta , ex quâ Constitutionis vis ac potestas , & mens Legislaturis cognoscitur.

Gummarus in totâ Methodo nullam rationem naturalem producit , ex quâ doctrinam suam inferat : nullam Ecclesiæ Traditionem , vel Authoritatem , nullum communem consensum Patrum , qui eo modo , quo ipse , loca Scripturæ , quæ allegat , explicit : nullos Scholasticos (præter Gersonem in materiâ , de quâ controversia ) nulla Pontificum Decreta , aut Canones ; sed solum Instructionum S. Caroli fragmenta quædam ; nullos etiam Doctores , qui illas in sensu Methodi explicitent . In præfatione apologeticâ duos allegat Canonem , nempè XI. Concilii Toletani tertii ; de cuius explicatione anteā diximus ; & Canonem : si clericus vel laicus concupierit fornicari , punitat bienmō , de quo aliquid dixi in principio , & addam alia breviter infrâ . In apologiâ nullum nisi Ancyranum , & Eliberitanum , qui rem , de quâ agimus , non tangunt .

Totum igitur doctrinæ eius fundamentum sunt aliqua Scripturæ , aut Sanctorum Patrum verba : quoruin si eum , quem prætendit esse sensum , negavero , vel consequentiam , neque ipse negata probaverit ; tamquam pulvis vno flatu

flatu evanescit tota Methodus , ac meritò dicetur : hic eximius caput adificare , & non potius consummare . Singula Scripturæ loca percurramus , deinde Patrum , ac consequentias à Theologiâ scholasticaâ , & Logicâ alienas ; tum Lector iudicet .

Gummare , post præfationem in Methodum exhibes quatuor Scripturæ loca , & dicis :

I. Ad confessarium , vt iudicem , ne ini- què iudicet : noli querere fieri iudex , nisi valeas virtute irrumperem iniquitates : ne forte extimescas faciem potentis , & ponas scandalum in aquitate tuâ . Eccl: 7. v: 6. quid prætendis inferre ? quod non debeat quis esse confessarius , qui non sequitur tuam Methodum ? nego consequentiam ; proba .

II. Ais ibidem , ad eundem vt medicum , ne assimiletur iis , qui sanabant contritionem filiæ populi mei ad ignominiam dicentes : pax , pax , cum non effet pax . Ierem: 8. v: 9. quid prætendis inferre ? sagittam mortiferam seu lethale peccatum è corde peccatricis filiæ non esse extrahendum , nisi sit valetudini spirituali restituta , per virtutes Theologicas iustificationi necessarias ad deum conversa , nisi sanatae sint prævæ inclinationes ? sic enim loqueris in Methodo pag: 127. & pag: 241 . in apologiâ pag: 69. iterum nego consequentiam ; proba . Interim ô miserum te medicum , qui mortis causam non prius vis tollere , quam valetudini restitutus sit æger .

III. Ais, ad eumdem vt magistrum, ne doceat oscitanter: quod si speculator gladium viderit venientem, & non insonerit buccinā, & populus se non custodierit, veneritque gladius, & tulerit de iis animam, ille quidem in iniquitate suā captus est, sanguinem autem eius de manu speculatoris requiram. Ezechiel: 33. v: 6. Quidquid hinc pro tuā singulari de differendā absolutione Doctrinā intuleris, negabo consequentiam: quia argumentum facies à disparatis: quod nec in Logicā, nec in totā Scolasticā concludit. Agit enim Ezechiel de impediendo peccato futuro: tua verò Methodus de tollendo peccato præterito.

IV. Ais ad eumdem, vt patrem, ne perditè amet: qui diligit illum (filium) constanter erudit, Proverb: 13. v: 24. quid infers? ergo nō peccatricem animam non diligit, qui eam à peccato vult eruere, priusquam omnia illa præstiterit quæ requiris? iterum nego consequentiam; proba. Et antequam inferas, lege Augustinum de Doctrinā Christianā lib: 2. cap: 33. ubi agit de malis consequentiis, seu connectionibus, quibus scatet tua Methodus.

V. Nullam in Methodo Scripturam inventio antè pag: 13. in quā ex diversis locis hæc congeris: diliges dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in totā mente tuā, & in totā animā tuā. Quare primò regnum Dei, & iustitiam eius. Nemo potest duobus Dominis servire, non potestis Deo servire & mammona. Si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo. Prima harum sententiarum pars Methodo

Methodo tuæ contradicit: non enim vis absolvit peccatorem, qui non est ad Deum per virtutes Theologicas ad iustificationem necessarias conversus, & consequenter non vis ipsi impendere beneficium, quo remittuntur peccata, & cum remissione infunditur caritas, quā Deus diligatur. Alia verò, quæ reliqua loca Scripturæ allegata postulant, iam implet, qui confitetur cum proposito non peccandi de cætero, & servandi mandata. Cur ergò absolutionem differs?

VI. Pag: 16. adfers illud: Si quis suorum, & maximè domesticorum curam non habet, fidem negavit, & est infideli deterior. Hunc absolvit posse docet S. Carolus, si spondeat se Patris-familias officium præstiturum, ergo iterum hic impertinens allegatio pro dilatione tuā; & negabo consequentiam.

VII. Pag: 46. 47. 48. multa alia loca congeris, vt probes multis opus esse ad perseverandum. Hoc scimus: sed omnia illa continentur in brevi hac Christi sententiā: si vis ad vitam ingredi, serva mandata. Hoc proponit, qui confitetur spe obtainendæ veniæ: Nec ullus docet quemquam aliter absolvendum. Ad quid ergo tanta sententiarum congeries eodem pertinentes, nisi vt ad tres fere paginas ex crescatur liber tuus?

Priusquam alios Scripturæ textus alleges, misces alia, & exhibes textum S. Caroli quasi dicentis: Est præterea consultum differre absolutionem,

nem, donec evidens appareat emendatio &c. Attamen in originali seu Italico non habetur: evidens, sed sic: donec videatur aliqua emendatio. Hoc ipsum fateri coactus es in præsat. Apologeticā postquam oculos tuos pupugit Author *Responsionis brevis*. Peccas insuper contrà Logicam, dum nō attendis ad ista verba S. Caroli in dicto versu: *Est præterea consultum &c. & differunt usque ad ultimos quadragesime dies.* Cum enim ista ultima non sint frustrà posita, sequitur per argumentum à contratio sensu, *non debere differri absolutionem, sed posse statim impendi, si alio tempore veniant.* Hoc vero non admittit tua Methodus pag: 50. & 51.

VIII. Tandem pag: 53. 54. 55. exhibes loca Scripturæ, quibus probari vis conclusiōnem hanc, quam posuisti pag: 52. quapropter illis differenda est absolutio, vt eo pacto menem advertant, quid commeruerint, & quomodo veniam obtineant; atque iniungendum interim, vt precibus, operibus pénitentie, aliisque pietatis, ac virtutum exercitationibus, atque in priuis iis, quæ consuetudini prave adversantur, se se ad sinceram conversionem disponant.

Id vero sic probas: Ezechielis cap: 18. Deus peccatori hac legi veniam spondet: si impius egerit pénitentiam ab omnibus peccatis suis que operatus est, & cunctiderit omnia precepta mea, fecerit iudicium, & justitiam, vitâ vivet, & non morietur. Omnia illa de facto implevisti, antequam absolveris à peccato mortali: an forsitan nullum te totâ vitâ tuâ commississe persuadebis? difficulter. Saltem

Saltem si ille est Scripturæ sensus, quem prætendis, nullus nisi in fine vitæ absolvī poterit, nisi vnicus ille, qui omnia illa impleverit.

Agnosce ergò argumenti tui vitium, Vir eximie. Est autem hoc. Impingis contrà interpretandarum legum, etiam sacrarum, regulam hanc, traditam ab omnibus, etiam Augustino de Doctrinâ Christianâ: totus Scripture contextus est inspiciendus. Ezechiel autem postea habet: *impieas impii non nocebit ei, in quacumque die conversus fuerit ab impietate sua.* Ut autem ab illâ convertatur, non requiritur, vt omnia, quæ requiris, impleverit, sed eo ipso, quo peccatum detestatur, dolet de Dei offendâ, proponit servare mandata, pénitentiam iniungendam implere, confitetur, ab impietate convertitur.

Et sic locum à te citatum explicat Romanus Catechismus n: 40. & paulò antè præmisserat: *non desferent fideles de Dei bonitate & clementia: is enim, cum nostra salutis cupidissimus sit, nullam moram ad tribuendam nobis veniam interponit, sed peccatorem paternâ charitate complectitur, simulq; ille se collegerit, & universè peccata sua detestatus, que deinde alio tempore, si facultas erit, singula in memoriam reducere, ac detestari in animo habeat, ad dominum se convertit: ita enim nos per Prophetam iubet scrare, cum, inquit, impietas impii non nocebit ei, in quacumque die conversus fuerit ab impietate sua.*

Sic præterea explicant Patres omnes, Leo Epist: 91. Gregorius in Psalmum 2. pénitentialm,

Augu-

Augustinus in Psalmum 31. Hic tonimus in eumdem Psalmum, Chrys. homiliā 9: de penitentia: diximus, inquit, facilem esse penitentiam; peccator es, ecclęiam ingredere, dic: peccavi & solvisti peccatum. Et homiliā 27. in Genesim: Qui peccavit, quando confiteretur peccata, & veniam petit, accipit post hac securitatem, repenteque iustus apparet. Similia habet homiliā 1. in Psalmum 50. & 106. Serm: de confessione peccatorum, concione 4. in 16. Luce. Addo Cælestinum Epist: 2. ad Episcopos Gallie cap: 2. ubi ait: Deus ad subveniendum paratissimus invitans ad penitentiam, sic promittit: peccat ir quacumque die conversus fuerit, peccata ejus non imputabuntur ei. Et paulò post citans eundem scripturæ locum juxta versionem 70. interpretum, ait: cum conversus ingemuerit, tunc salvus erit. Cum ergo sit Dominus cordis inspector, quovis tempore non est deneganda penitentia postulanū, cum ille se obliget judici, cui occulta omnia noverit revelari. Eodem modo explicat Scripturam Sacram S. Leo in dicta Epistola 91. ubi penitentia nomine ipsum Sacramentum, Sacramentalemque absolutiōnem vult significari, prout docet Romanus Catechismus superius citatus: adjungit enim Leo: multum uile, ac necessarium est, ut peccatorum reatus ante ultimum diem sacerdotali supplicatione solvatur: His addo Gregorium homiliā 26. in Evangelia.

IX. Sed audivi unum ex Discipulis tuis mihi non longè ab Aquisgrano replicantem ( credidi ex ore tuo ) in eadem homiliā haberi:

beri: videndum, quæ culpa præcessit, aut quæ sit penitentia secuta post culpam: ut quos omnipotens Deus per compunctionis graiam visitat, illos Pastoris sententia absolvat. Planè omnino videndum est: oportet enim ut sit dolor de offendo Deo, non de solā infirmitate, aut periculo perendi temporalia, qualis erat dolor Antiochi Machabeorum 9. Ut sit conjunctus cum spe veniæ, non autem dolor Judæ, qui de veniâ desperans laqueo se suspendit. Et sit juncta humilitas, & propositum mandata servandi, & satisfaciendi: non dolor Saulis, qui primi Regum 15. Dicebat: peccavi, sed porta quæso, peccatum meum: nunc honor a me coram senioribus populi mei, & coram Isræl. Regnum ille retinere volebat, quo justa Dei sententiâ erat exutus. Sic se ipsum explicat Gregorius lib: 6. in dictum Cap. 15. Quod caput non videris isti discipulo explicuisse. Habes ex dictis Patribus regulam toti tuæ Methodo contrariam, juxtâ quam regulariter protestantes se dolere de Dei offensâ, promittentes se servatuos mandata perpetuò, injungendam satisfactiōnem peracturos, confessarii consilia adversus relapsum secuturos, ( quando judicat necessaria, ) absolvendi sunt, exceptis paucissimis casibus, quos suprà ex S. Carolo vidimus. Hisce Patribus consonat Tridentinum Concilium sess: 14. de penitentia cap: 4: non aliud requirens, quam dolorem de offendo Deo, spem veniæ, propositum implendi reliqua, & confessionem

X. Tu

X. Tu vero Vir eximie , nec Ecclesiæ aut horitatem , aut traditionem , aut consensum Patrum habes , qui allegatas à te scripturas dūtā pag: 53.54.55. eo modo explicit , quo tu interpretaris . Peccas igitur in regulas à Tridentino Concilio traditas .

XI. Proindè pari laboras Scripturæ interpretandæ ignorantiâ , dum ad confirmandam , quam paulò antè retuli ex tuâ paginâ 52. assertionem , allegas illud Deteutonomii 4. cum quæsieris Dominum Deum tuum , invenies eum , si tamen toto corde quæsieris , & totâ tribulatione anima tua : ex quo quæris: soleñè hoc illicè fieri ? interrogationem tuam & veluti conclusionem retundet Romanus Catechismus n: 36. hunc ipsum locum & alia explicans ; non requirit ut illa præmissa sint , sed emendandæ vitæ cogitationem , ( ndn deliberando tantum , an facere velit ) sed decernendo se facturum , & impedimenta sublaturum . Tunc enim adeſt certa cogitatio , & quæ sufficenter est stabilis ad absolutionem ; legc ibidem n. 46. 47. Et Christus illis , quod liberaverat , non dixit: non es sanus nisi amplius nos pecces , sed voluntatem conveniens dicit : noli amplius peccare . Vide di&to n. 36.

Præterea illud à te peto : estne opus tanto tempore , ut quis consideret summam Dei bonitatem , & misericordissimi ejus filii cruentam pro nobis passionem? ex quâ consideratione facile mutatur animus? Damna si potes

tes , Augustinum in ps. 63. scribentem : Numquid consilii corrigiendi & male vita in bonam muranda , non est locus ? non est tempus? nonne , si vis , modò fit ?

XII. Tertio loco citas illud Pauli ad Corinthios : quæ secundum Deum tristitia est , pœnitentiam in salutem stabilem operatur . Ecce enim hoc ipsum contrastari vos , quantam in vobis operatur sollicitudinem : sed defensionem , sed indignationem , sed desiderium , sed emulationem , sed vindictam . Ventrem & pedes à contextu tollis , eximie Viri in medio habetur : Tristitia autem saceruli mortem operatur . Et post ly: vindictam , sequitur : in omnibus exhibuitis vos incontaminatos esse negotio . Dicitne Paulus dilatam fuisse absolutionem Sacramentalem , quousque omnia illa præstitissent Corinthii , quos alloquitur , nec posse absolvi quemquam , nisi præstiterit illa , quæ ac cumulat? exhibe aliquem diale&ticæ locum , ex quo illud concludas .

XIII. Ignorantia tua appeter ulterius ex imperitiâ explicatione , ( quæ paginâ 54. sequitur ) verborum Ioannis Baptiste ad Pharisæos: facite fructum dignum penitentie . Vel enim vis , ut omnem penitentia fructum absolutioni præmittant ; & incidis in errorem Petri Dosma : vel non distribuis vocem : fructum , & sic intelligis facile aliquem fructum penitentia: Et tum impingis in logicam procedendo à genere non distributo ad certam speciem , nempe ad varia & multo tempore pœnitentialia opera

pera ultrà discussionem conscientiae, propositum emendationis, confessionem, qui sunt fructus pœnitentiae: *pénitentia* enim dolorem de Dei offensâ significat, si lego Romanum Catechismum.

XIV. Non videris etiam legisse textum Mathæi, ex quo verba illa citas. Sic verò habetur: *Facite fructum dignum pœnitentia, & nè yelitis dicere m̄ra vos: Patrem habemus Abraham.* Alloquitur Joannes Pharisæos, qui sibi credebant ad salutem sufficere, quod ex Abraham descenderent. Lege Augustinum Tractatū 42. in Ioannem, homiliā 27. inter Hom. In Psalm. 46. 131. De fidelibus in Christum, non in Abraham sperantibus agimus, & agis. Iterum igitur peccas in logicam, argumentando à maximè disparatis.

XV. Citas illud Lucæ 14. *Si quis venit ad me, & non odit Patrem suum, Matrem & uxorem, & Filios & Fratres & Sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus.* Item illud Mathæi 10. *Qui amat Patrem aut Matrem plus quam me, non est me dignus, & qui amat Filium & Filiam super me.* Indè infers: multo igitur iam labore quam tempore opus esse solet iis, qui multis mortalibus contaminati sunt, aut admodum gravibus, ad vera justificationis dorem adipiscendam. Ad tuam Dialecticam appello. A quo loco hoc sequitur? Id quod ibi postulat Christus, continetur in proposito servandi deinceps omnia mandata, & postponendi omnia, etiam propinquos

quos Deo. Sic post Sanctos Patres tuos Textus explicat Romanus Catechismus Num. 35. & 36. Lovaniensis editionis Anni 1662. Proba multo tempore & labore opus esse ad hujusmodi propositum elicendum.

XVI. Allegas illud Lucæ 14. *Quis ex vobis volens turrim adficare, non prius sedens computat sumptus, qui necessarii sunt, si habeat, ad perficiendum; ne postquam posuerit fundamentum, omnes qui viderint, incipiunt illudere ei, dicentes: hic homo cepit adficare, & non potuit consummare?* aut quis Rex iturus committere bellum adversus alium Regem, non sedens prius cogitat, si possit cum decem milibus occurrere ei, qui cum viginti milibus venit ad se? alioquin illo adhuc longè agente, legationem mittens regat ea, qua pacis sunt. Sic ergò omnis ex vobis, qui non renuntiat omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus. Ex quibus sic concludis pag: 56. Nonne Divinus ille Magister generali hâc similitudine graphicè adumbravit, quanti ista sunt laboris, q. amq; ardua, si quis peccato mortali à Christo antesignano suo defecerit?

Deciperis iterum falsâ similitudine, peccans contrà leges argumenti à simili. Similitudinem illarum scopus est, quod qui vult esse Christi discipulus, expendat conditionem Christianismi, quæ est: *ut, qui illum suscipere vult, animo paratus esse debeat universo mundo & propria etiam vite valedicere, si cum præceptis Christi servari nequeant.* Ità Iansenius Irensis in cap. 14. *Lucæ;* illudque invenies deductum latius apud

Gregorium Hom. 37. August. Epist. 38. 89. & libro 2. quest. Evangelicarum questione 31. atqui discipulus Christi est, qui confitetur, & implevit, quæ per istam similitudinem significantur, dum proponit impostorū servare mandata, & omnia, etiam vitam amittere potius, quam adhuc peccare mortaliter.

XVII. Pag. 105. Et aliis sèpè repetitis oby-cis illud : contendite intrare per Angustam portam. Dico ego : porta illa est observatio omnium mandatorum Dei, dicente Christo : si vis ad vitam ingredi, serva mandata. Sentisne omnia debuisse esse observata, antequam pénitentem absolves? Quem ergò absolves, aut quando? Et ut, allegatis à te similitudinibus, aliquid addam : si vis, ut priusquam aliquis absolvatur, habeat omnia ad perficiendum, debet ergo donum finalis perseverantiae habere. Si non sufficiat propositum, de quo dictum est post Jansenium, & Sanctos Pa-tres, ergò nec tu hucusque absolvi potuisti; quia necdum renuntiasti omnibus, quæ possides: aut fatere, quod per angustum portam contendit intrare, qui cordis occulta cum difficultate confitetur, subjicit se poenitentiæ, proponit servare mandata, etiam mori potius quam Christum mortaliter offendere: sed tu, ne intrent, impedis, sub-trahendo Sacramenti poenitentiæ, & Sacrae Communionis gratiam, sine quibus defi-cient in viâ.

XVIII. Nul-

XVIII. Nullū ulteriorem invenio Scripturæ locum, quem pro dilatione absolutionis alle-ges, nisi duo haec : si oculus tuus dexter scandali-zat te, erue eum, & projice abs te &c. Mathæi. 5. ita pag. 173. & 251. quā sententiā reiicien-das & fugiendas peccati occasionses docet Christus. Quandonam S. Carolus rescinden-das occasiones censeat, antequam absolutio impendatur, vidimus suprà ex ejus scriptis : à quorum sententiâ quantum aberres in Tra-ctatu tertio, ostendit Auctor Respons. brevis in con-tinuazione ad eundem. Cui, cum non responderis hactenùs, nec respondere facile possis, allega-tos ab ipso errores tuos poteris annumerare præcedentibus.

XIX. Altera scripturæ sententia est, quam dixit Christus paralytico : ecce sanus fædus es, jam noli peccare; mulieri adulteræ : vade, jam amplius noli peccare. Hoc ipsum exigunt confes-sarii omnes: exigunt, inquam, & exigendum etiam docent Scholastici omnes, vt is, qui à peccatis absolvri cupit, decernat absolutè servare manda-ta, seu non peccare amplius. Sed tu aliud postulas: An ergò non absolves eum, qui adultâ ætate baptizatus est & peccavit postmodum? Au-gustinus enim de fide & operibus cap. 20. hanc Christi sententiam illi quoque, qui baptiza-tur, dictam esse afferit.

CA

## C A P U T X V.

*Gummarus & quæ imperitus Patrum Interpretes: & in horum allegatione pariter in Logicam & Theologiam Scholasticam impingit.*

**XX.** *P*ag: 7. & 49. alleges illud Augustini libro 8. confessionum capite 5. voluntas nova, quæ mihi esse cuperat, ut te gratis colorem, Deus sola iucunditas, nondum erat idonea ad superiandam priorem velutate roboretur: ita duas voluntates mea una vetus, altera nova configebant inter se, atque discordando dissipabant animam meam. Ex hâc auctoritate vis confuetudinariis differri absolutionem, quia à veritate alienum est, quod plerumque subito convertantur. Iterum more tuo bellè argumentaris à disparatis; Augustinus tumens inani Philosophiâ nondum resolverat suscipere Baptismum, & subiicere se Christi legibus: sed secum animo disceptabat, deliberabatque. Ut argumentum tuum procederet, deberet comparatio fieri cum eo, qui deliberat, an velit confiteri & servare mandata. Talem nemo docet absolvendum, nec de hoc est quæstio: sed de eo, qui jam confiteretur, & promittit servare mandata. Edificere nobis, quando Augustinus constituit, & beato Ambrosio declaravit se velle Baptismum suscipere? petiit illum, subiectit se

*Christi legi: distulitne Ambrosius idèò, quod in Augustino antea configebant duas voluntates, una vetus, altera nova? nonne tunc viceras nova? nonne similiter vicit, dum quis conscientiâ discussâ, actu confiteretur, subiicit se pænitentiæ, statuit mandata servare? cur ergò absolutionem differs?*

**XXI.** *P*ag: 59. alleges illud psalmi 6. sed tu Domine, usquequæ? citalque hæc Augustini verba: quis non intelligit significari animam luctantem cum morbis suis, diu autem d. latam à medico, ut eis persuadeatur, in qua mala peccando se precipitataverit: quod enim sanatur, non facile cayetur. Indè infers: non parùm augetur reconciliationis astimatio, dum differunt collatio. Vis ergò differri absolutionem, vt illam pænitens astimet: & interim relinquis illum expositum periculo damnationis, & aliis, quæ suprà exposui? non ita Deus, nec ita Augustinus; audi eumdem paulò post, seu in Psalmum 31. Dixi: pronuntiabo adversum me iniustiam meam Domino, & tu remisisti iniquitatem peccati mei. Confessio mea ad os nondum venerat, verumtamen Deus audivit vocem cordis mei. Vox mea in ore nonum erat, sed auris Dei in corde erat. Et in eumdem Psalmum 31. Gregorius: tu remisisti iniquitatem peccati mei; attende, quanta sit indulgentia vitalis velocitas, quam a misericordia Dei commendatio, vt confitentis desiderium cœmitetur venia, antequam ad cruciatum perveniat penitentia. Et Hieronymus in eumdem Psalmum: scio te citò remittere peccata, cum tibi fuerint integrè revelata.

*Iraque,*

Itaque, eximie Domine, iterum argu-  
mentaris à casu & personâ dissimili & con-  
fundis eum, qui jam confitetur cum eo, qui  
confitendi difficultatem & innatam vere-  
cundiam sentit, & luctatum: qui necdùm  
pervenit ad propositum emendationis vitæ,  
& satisfactionis, (de quo agit Augustinus  
in Psalmum 6.) confundis, inquam, cum  
eo, qui jam confitetur, & ad propositum  
illud pervenit, cuius est longè alius status.  
Et hoc poteras discere ex ipsomet Psalmo 6.  
Nam postquam peccator, (in cujus personâ  
loquitur ibi David) dixit: *Layabo per singulas  
noctes lectum meum: exauditus est à Deo, &  
dixit: exaudiuit dominus orationem meam, dominus  
orationem meam suscepit.* Lege Catechismum  
Romanum num. 31. & invenies, quod dico.

XXII. Tertio loco seu pag. 75. & iterum  
pag. 77. alleges Cyprianum *de lapis*. Illi  
erant, qui, ut à persecutione Ethnicorum  
liberarentur, idolis sacrificaverant, & pu-  
blicæ pænitentiæ subjecti erant; qui antè  
peractam publicam pænitentiam, imò antè  
factam exomologesim seu confessionem pu-  
blicam, quâ repararent scandalum Ecclesiæ  
illatum, volebant restituī plenæ, fidelium  
communioni. Hoc improbat Cyprianus. I-  
deòque dupliciter contrà logicam peccas;  
primò, quod de certâ criminolorum specie  
scribit Cyprianus, extendis ad omnes pec-  
cati mortalis reos, etiam unius tantum: hoc  
enim

enim fateris Pag. 102. in Principio: & quod de  
publico peccatore dicit Cyprianus, extendis  
ibidem ad quemvis peccati gravioris præser-  
tim externi (sic loqueris) reum, etiam si non  
sit publicum. Ergò argumentatis à certâ spe-  
cie ad genus distributum.

Secundò nullibi in toto illo Tractatu *de lapis*  
asserit Cyprianus istis idololatris, si humiliter  
peccatum confiterentur; & se se pænitentiæ  
publicæ subiicerent, negatam fuisse in foro  
interno Sacramentalem absolutionem: hoc  
tamen supponis, & ex istâ suppositione con-  
cludis pro dilatione tuâ, ergò committis vi-  
tium, quod à Logicis vocatur: *petitio principii*.

XXIII. Impingis in eadem, dum dictâ pag:  
75. allegas verba quædam Ambrosii ad Vir-  
inem laplam; Deo dicatam, cuius sacrilegæ &  
diuturnæ fornicationes grave scandalum Ec-  
clesiæ pepererant. Nec enim probas illi dilata-  
tam fuisse absolutionem, quoisque pænitenti-  
am, quam præscribit Ambrosius, implevisset.

XXIV. Eadem pag: 75. allegas hæc verba  
Augustini, ex sermone 34. de conversis. Om-  
nia præterita conversis dimittuntur: cetera vero hujus  
vita sunt quedam gravia & mortifera; quæ nisi per  
vehementissimam modestiam humiliationis cordis &  
contritionis spiritus, & tribulationes penitentia non re-  
laxantur. Hæc dimittuntur per claves Ecclesie. Accep-  
temus sententiam hanc separatam à toto con-  
textu; ceterisque Augustini locis, quibus  
scipsum explicat; & supponamus ipsum hoc  
O solūm

solum scripsisse de penitentia: sufficient hæc verba, ut te convincant. Ponit enim ille duos casus, vnum, quo interveniunt claves Ecclesiæ, quibus peccata dimituntur, seu absolutio Sacramentalis; alterum, quo non interveniunt. Postremo casu certum est non dimiti sine perfecta contritione, quam in citatis prioribus verbis expressit Augustinus, & Romanus Catechismus num. 46. Sed si interveniant Ecclesiæ claves, non requirit Augustinus ista omnia, nec Romanus Catechismus num. 47. Quid ergo ex verbis Augustini infers, nisi condemnationem tuam?

XXV. Pag: 56. allegas ex sermone 56. de tempore hæc Augustini verba: *si alicui pes frangatur vel manus, cum labore solet ad pristinum officium revocari: si vero secundò & tertio & adhuc frequentius in eodem loco membra ipsa frangantur, potest intelligere charitas vestra, cum quantis doloribus vulnera ista curanda sunt;* & tamen post multas & longas tribulaciones vix erit, antequam ad pristinum statum membrorum ipsa valeant revocari; similis ratio in animarum fracturis, seu vulneribus esse credenda est.

Ego nihil istorum invenio sermone 56. sed invenio sermone 58. in quo tam ea, quæ præcedunt illa, quæ adduxisti, quam illa quæ sequuntur, totam tuam Methodum confundunt. Sic enim paulò ante tua verba habetur: *de indulgentia Divinâ nemo diffidat.* Dominus per Prophetam velut pater piissimus consolatur dicens: *nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur, & vivat.* & illud: *impicias*

*impiecius impii non nocebit ei, in quacumque die conversus fuerit ab impietate sua.* Sed ista tam magna misericordia tunc nobis prodest, si non tardamus converti ad Dominum, nec crimina criminibus superaddimus. Audis illud: *si non tardamus?* facilis est ergo conversionis in eo, qui semel tantum peccavit. Prosequamur Augustini textum. Post verba à te descripta sequitur: *si semel aliquis vel secundò peccaverit, & sine aliqua dissimulatione ad penitentie medicamenta confagerit, pristinam incolunxit atem recipit sine aliquā morā:* audis: *sine aliqua morā?* & tamen tantam moram, tot labores requiris etiam ab eo, qui tantum semel peccavit. Relege Methodi tuæ pag: 200. & sequentes.

Audi, jam quid de consuetudinario & inveterato dicit Augustinus, & intelliges, quare tam difficulter curetur: quia scilicet vix induci potest, ut offensam agnoscat & confiteatur. Hic luctatur animus. Audi, inquam, Augustinum ibidem: *Si verò peccata peccatis caperunt addi,* & animarum vulnera magis legendo vel defendendo putrescere, quam confitendo, & penitendo curari, timendum est, ne in illo impleatur illud, quod Apostolus dicit: *An ignoras, quia benignitas Dei te ad penitentiam adduxit?* quod si jam illum de Dei offensa penitet & confitetur, dicitne Augustinus differendam absolutionem?

XXVI. Pag. 76. Allegas ista Ambrosii in Psalm. 118. In ipsa Ecclesia, ubi maximè misereri decet, teneri debet quam maximè forma iustitiae, ne quis a communionis consortio abstentus, brevi lacrimula, at-

que ad tempus parata vel etiam uberibus fletibus, communionem, quam pluribus debet postulare temporibus, facilitate Sacerdotis extorqueat. Nonne cum uni indulget indigno, plures facit ad prolapsoris contagium provocari? facilias enim venie incentivum tribuit delinquendi. Ambrosii textum discutiam paulò post. Interim peto: ergone incentivum delinquendi tribuit Deus? qui prodigum illum filium tam citò in gratiam recepit, qui Davidi, Achab, Manasse tam cito pepercit: cuius misericordia (teste sacrâ scripturâ) supra omnia opera ejus, qui Publicanum dicentem: propitius esto mihi peccatori, suscepit: qui sceleratissimis Ninivitis post triduanum jejunium pepercit; pendentî in cruce Latroni culpam agnoscenti & dicenti: miserere mei, statim Cælum promisit; qui teste Canone: adhuc instanti perfidi de pænitentiâ distinct. 3. semper praesto est peccata destruere &c?

XXVII. Sed tu Divini verbi præclare interpres, allegata S. Scripturæ exempla dicis esse non exempla, sed miracula, Methodi. pag: 80. & 149. item Apolog. pag: 100. in fine. Audesque citare ad hoc Bernardum epist. 8. dicentem: subitanæ Pauli persecutoris Ecclesiæ vocationem ad Apostolatum esse miraculum, non exemplum. Argumentaris iterum à dissimili, & insuper impingis in Patres omnes, qui illa ipsa pro exemplis Divinæ ad miserandum promptitudinis adferant: v.g. Augustinus dicto sermone §8. Gregorius in Psalmum 2. pænitentiale, Cælestinus

Iestinus in Epistola ad Episcopos Gallie, Chrysostomus homilia 9. de pænitentiâ, & homilia 27. in caput 9. Genes: quibus adde Pænitentialia, & Ritualia tam Græcorum quam Latinorum; quæ & quorum verba refert Morinus ad calcem Tomi de administratione Sacramenti pænitentia. Quæ omnes illa proponunt peccatoribus tamquam exempla nobis à Deo tradita, quibus excitantur ad summam fiduciam concipiendam de eius clementiâ, si peccata confitemur & vitam mutare in melius proponamus nec propterea bonitas hæc est incentivum delinquendi: quia qui promisit veniam pænitenti, non promisit diem crastinum reincidenti, aut pænitere & confiteri differenti. Propterea dicit scriptura Ecclesiast 5. ne tardes converti ad Dominum, neque differas de die in diem, subito enim venier ira illius, & in tempore vindictæ differet te.

Nec vel apparteret tuæ doctrinæ pattonatur Ambrosius: quia nec verbum ille habet de dilatione *absolutionis*, sed *communionis*, quæ publicorum peccatorum reis sæpè ad tempus differebatur, donec Ecclesiæ pro dato scandalo satisfecissent, ergò argumentum tuum laborat vitio æquivocationis: seu, dum non intelligis, vel non distinguis terminos, id, quod de *communione* dicit Ambrosius, tu de *absolutione* *Sacramentali* etiam pro peccatis occultiis intelligis, & vis à discipulis tuis intelligi. Ideò verisimilè, sed adversum te, toties in tua Methodo allegasti illud Christi: *Si catus*

*coco ducatum præstiterit, ambo in foveam carent.* Quod si vel ad ipsa, quæ descripsisti, Ambrosii verba reflexisses, facile (nisi præconcepcta opinio impedivisset) videre poteras illum agere de publico peccatore; dicit enim; *eum Sacerdos vni indulget indigeno, plures facit ad prolapsioris contagium provocari.* Quomodo provocabuntur, si peccatum sit occultum? unde scient an communione fuerit dignus. vel absolutione?

XXVIII. Paræquæ vocationis aut amphibologiae vitio laboras in pluribus aliis (summatim dicam); ubi *pænitentia* nomen legis, statim multa, & longi temporis laboriosa opera intelligis; & tamen vox illa: *pænitentia*, tria significat, nempe virtutem seu *animi dolorem de Dei offendâ cum peccati detestatione & emendationis proposito*: Secundò ipsum pænitentiae Sacramentum: tertiodò pænalia opera seu satisfactionem. Lege Catechismum Romanum dicto capite 5. Adderem Scholasticos in tertiat pag: sed omnes contemnis, uti intelligo, & è Collegio tuo eliminas; meritò: si enim illos legent discipuli tui, statim patenter illis Novitates tuæ fundamento destitutæ.

XXIX. Item; ubi legis *satisfactionis* nomen, vis intelligi rem condistinctam ab ipsa confessione: & tamen Patres isto nomine etiam *confessorem* intelligunt, tamquam præcipuam satisfactionis partem. Lege Canonem 88. de penit. Distinct. 1. Chryostomum in oratione de beato

*beato Philogonio.* Halensem post Augustinum Parte 4. quest. 18. membro secundo. Quia scilicet ipse pudor & propriæ turpitudinis expeditio est magna pæna.

XXX. Eodem æquivocationis vitio laboras, dum, quod de reconciliatione publicè pænitentium (quæ etiam à Diacono fieri poterat) dicunt Canones, de *Sacramentali absolutione* pro peccatis etiam occultissimis intelligis.

Adderem plura. Sed sisto brevitatis causâ: nam octuaginta & amplius alias singulares opiniones tuas ostendit Franciscus Carolus Reymackers in Continuatione *Responsionis brevis ad tuam prefationem apologeticam*, ad Tractatum tertium, & in Refutatione *Aologie tuae*, iam à quinque annis & amplius editâ. Alias detexit D. Nicolaus du Bois in *Apologia concordia tuam Ratematoriam Synodum*.

## C A P U T XVI.

*Expenduntur Laxitates Gummari,  
earumque & totius Methodi  
Canonizationes.*

EX dictis patet primò, quomodo impietas in Tridentinum Concilium fessi. 4. quo jubetur: ne quis scripturam interpretari audeat contrâ communem Patrum consensum: contrâ quem tamè tot interpretatus es Scripturæ loca, quæ vidimus.

Secundò: tractando Theologiam scholasticam,

eam ; seu ejus partem , quæ est de pénitentiâ , nullis principiis , quibus illa inniti debet , munitus , ac nequidem principiis Logicæ adèò in Scholasticâ necessariis .

Tertiò : mirum in modum extollendo tuam Methodum , & tam sèpè , ut penè sexta pars operis in ejus laudibus sit impensa .

Quartò : passim illis , qui doctrinam tuam non probant , detrahendo , tamquam Sacrifagis & animarum Seductoribus .

Quintò peccas contrà præceptum : *non occides* , dum sine absolutione dimittens aut dimitti volens eos , qui non exhibent tantam de conversione suâ certitudinem , quam requiris , exponis periculo æternæ damnationis tam animæ quam corporis ; si contingat eos sine absolutione vitâ fungi .

Sextò : peccas contrà præceptum : *non mœchaberis* , negando juvenibus sponsis & se continere non valentibus absolutionem , & subtrahendo remedium matrimonii , sine quo in summo versantur periculo peccati carnis .

Septimò : peccas contrà præceptum : *non furtum facies* , dum aliquos , ( indubie Religiosos , quos insectaris ) traducis ; quasi confessores dimidiarent , vel dimidient , nec seculeratissimo quidem umquam ulli , etiam plurimorum annorum tempore , absolutionem negaverint ; &c. Simul peccas contrà illud : *Non loquēris contrà proximum tuum falsum testimonium* .

Octavò : peccas contrà illud : *memento , ut diem*

*diem Sabbathi Sanctifices*. Non vis lavari animas per Sacramentum , sine quo adhuc à Dei gratiâ alienæ non possunt puro corde , piâ Communione reali vel spirituali , diem Solemnem Sanctificare ; & obsequia gratiora Deo cum veste nuptiali exhibere .

Nonò : imitaris illos , de quibus Paulus ad Romanos 1. ait : *Veritatem Dei in iniustiâ detinent* , dum toties & in tam multis convictus , per *Responsiones Francisci Reymakers* , *Praxim solidam* , *Apologiam D. du Bois* , libellum cui titulus : *Aliquot prepositiones* : non revocas ea , quæ tamen tueri te non posse docet ad omnia illa tam longum silentium tuum .

Decimò : impingis in Propositionem 28. damnatam ab Alex. VII. dum tuam , qui es Auctor novissimus , opinionem vis à tuis discipulis teneri , & practicari ; qui tamen non aliud habent fundamentum , quam quia tu dicis : nec vident aliter quam in impressâ menti falsâ opinione veritatis .

Undecimò : condemnas insigniter te ipsum . Scribis enim Paginâ 134. *Defendam in modum novarum probabilatum* ( ut vocant ) *numerous succrevit* , adeò ut hac tempestate longè periculosius sit , certam veritatem inter tot falsitatis involucra non studiosè indagare , sed iis subscribere , que multi Scriptores præsertim novelli , & recentiores excudant , circumferunt , & venditane .

Cui enim magis convenit ista sententia , quam tibi & discipulis tuis , venditantibus

Methodum tuam, in qua longè plures sunt Novitates, quam hactenus in omnibus libris, Scriptis & Thesibus eorum, quos Lovanienses Romæ impetrerunt, invenire potuerunt, quæ condemnarentur? Egressi Lovanio non oportuit, ac ne quidem è Collegio tuo, ut plura Sanctæ Sedis examine digna invenirentur. Ità scilicet imples istud: *Vides felucam in oculo fratris tui, & trabem in oculo tuo non vides.*

Jam descriptæ ex tuâ Pag. 134. calumniæ subiungis aliam: *quamam ergo securitas adhærentibus Doctrina illorum, quibus prima regule loco est illud manifestè falsum: quod est speculativè probabile, est practicè certum?* *Seu quod idem valet: Quidquid unus, alterve Scriptor doctus, sic docent, & probus vel dubitando dicit licere, certò licet?* Ne umbra quidem securitatis, nisi qui dubia vocaret certa, aut primo falsa consueverit primò vera. Nihil proinde veritatis sectatorem remoretur, quidquid ab iis, qui istiusmodi pseudoregulis insistunt, adversus banc doctrinam reponatur.

Quis tradiderit istam: *Quidquid est speculativè probabile, est practicè certum, mihi non liquet.* Exhibe unum istius assertionis Authorem Belgam: vel saltē alium in Belgio notum. Si non invenis, cur divulgas Belgio sententiam? quæ cùm non sit condemnata (fortè tamen Romæ à Lovaniensibus proposita) natum est fieri, ut multi putent esse veram & practicent etiam in sensu, quem illi trahis; ecce igitur aliam laxitatis speciem:

im•

imò multarum laxitatum fontem, quem invenhis.

Insuper te ipsum condemnas gravius. Sequeris enim, & practicandum judicas etiam illud, quod ne quidem speculativè est probabile, nisi tibi soli. Scripsisti enim agens de sponsis: *Quidquid turbarum, obloquiorum, incommodi sequatur, juxta Hypotheses tertiam potissimum & quartam agendum judico,* quas tamen falsissimas esse in sensu, quo eas explicas, constat ex dictis. Nec solum in illo casu, sed & in cæteris totâ tuo Methodo expressis, non aliter practicari vis, quam juxtâ opinionem tuam.

Nihilominus totam Methodum Canonizavit Doctor van Vianen in Thesi 13. Ianuarii 1676. His verbis: *in solem sanè oblaqui reprehenduntur, qui obstrepunt Doctrinæ sancti Caroli Borromai, quam ut brevitatis causâ hic propugnemus,* Methodum remittendi & retinendi peccata, *ex instructione Pastorali deductam habemus velut expressam.* Magistraliter profectò. Sed ostendat, etiam Magistraliter, quod qui Methodo obstrepunt, etiam obstrepant Doctrinæ S. Caroli. Ista Canonizatione omnes Gummari laxitates, novitates, peccata in Logicam, Scholasticam cæteraque in Methodo expressa, sua facit hic Doctor, ut tradit Sinnichius in Saule Pag. 595.

Non credo, quod in alio legerit Instructio-nes sancti Caroli, quam in Methodo: sicut multi hodiè non legunt Augustinum nisi in

Jansenio. Minus credo, quod legerit ejusdem Sancti Caroli Concilia & appendices posteriores, (in quibus aliqua ex Instructionibus dum anteā editis, corrigit, multā explicat) vel inspexerit aut consideraverit ratiocinationes tuas. Temerē igitur alios condemnat.

Canonizavit quoque Bartholomaeus Pasmans in libello, cui titulus : *Testimonia è quibusdam Recentioribus collecta, quibus Doctrina Sancti Caroli Borromaei de remittendis & retinendis peccatis à singularitatis notā vindicatur. Quibus statim subiicit: Si suspiam singularitatis notam suspectam esse oporteat, Theologis & prefertim Sacramentalibus illum infestissimam esse nemo ignorat. Hinc factum credo, ut nonnulli Doctrinam Sancti Caroli de remittendis retinendisque peccatis singularitatis Labe, dum aliis argumentis convellere non sustinerent, aspergere conterentur. Ast, quam id immerito & absque fundamento; excerpta è recentioribus nonnulla dogmata ubertim testabuntur.*

*Testimonia, quæ aduersi, mi Bartholomæe, solū significant dilatam fuisse reconciliacionem publicè pænitentium: vel absolutiōnem Sacramentalem posse aliquando ad breve tempus suspendi. Hoc nemo in dubium revocat. Doctrina singularis Gummaris, non Doctrina Sancti Caroli novitatis arguitur. Pudeat igitur te imposturæ tuæ. Bellè imitaris Patrem Gabriélis, qui objectiones contrā doctrinam suam vocat objectiones contrā doctrinam Sancti Caroli. Sic perpetuò Jansenio.*

Jeniani ad versarios Jansenii vocarunt hostes Augustini.

Insuper Methodum Canonizavit Macarius Havermans in *Examine Pentalogi*, in quo corrasit pleraque ex Racematoriâ Synodo, ex proscriptis Speciminibus Patris Gabriélis, & Rituali Dalet. Non poterat scilicet aliter confutare *Pentalogum*, quam authoritate tam insigni.

Denique Canonizavit Theologus Parisiensis Anonymus in libello, cui titulum præfixit: *Remarques sur un Avertissement à Douai par le P. F. R. Iacops. In quo Pag. 85. Scribit: Reymakers ramasse tout ce qu'il y a de plus méchant sur ce sujet, pour l'opposer au Livre de la Méthode de Monsieur Huigens Docteur de Louvain, qui a traité de cette matière par des Principes aussi Solides & aussi Chrétiens, que ceux de Reymakers sont impies & insoutenables. Propositiones Patris Jacobs in Congregatione Eminentissimorum Cardd. examinatae, à censurâ transferunt immunes. Ego de veritate earum non disputo. Sed de justitiâ Canonizationis Methodi, & anathemate in Doctrinam Reymaeckers, adeò solidam, ut Continuationibus Responsionum nihil potuerit dicere Gummarus: nec Responsioni brevi responderit nisi Novitates cumulando, in Refutatione Apologiæ per eundem Reymaeckers detectas. Ad quam etiam tacuit Gummarus. Quid itaque est ab ipso ejusque discipulis, patronis, & sectatoribus laudari, nisi de ipsarum Novitatibus infamari? Quid de igno-*

ignorantiā vituperari , nisi laudari à retentā  
( quam hactenū prædecessores tradiderunt )  
doctrinā ? Absit igitur , ut laudemur à tali-  
bus : gloriemur , si vituperamur . Et si vel ali-  
qui ab audiendis confessionibus , à Pastora-  
libus Officiis arceantur , vel suspendantur ,  
ideò quod à quorumdam Prelatorum Gum-  
marianis Examinatoribus minùs idonei judi-  
cantur , dicamus illis : Beati , qui persecutionem  
patiuntur propter iustitiam . Vae tamen persequen-  
tibus .

## C A P U T U T I M U M .

### Salutaria Monita.

**E**xpende , Domine Gummare , an non  
tibi salutare foret : primò : revocare in-  
genue Novitātes tuas : tunc enim faciliùs cor-  
rigentur discipuli tui , quos perperam im-  
būisti ; sic agendum docet Innocentius 1.  
Epist. 26. Secundò : abstinere ab omni do-  
cendi Officio , nē dum hoc usque adeò pere-  
grinus es in principiis Logicæ , Scholasticæ ,  
Scripturā Sacrā , &c. In errores inducaris .  
Scriptum est enim : qui amat periculum , peribit  
in eo .

Tertiò : si postmodùm docere & scribere  
ambias , redi priùs ad Logicam , disce argu-  
mentorum sedes , deinde lege probatum ali-  
quem Scholasticum , ut terminos non con-  
fundas : & probatos Scripturæ interpres , ut  
ejus

ejus sensum assequaris . Quartò : hoc facto  
poteris inchoare lecturam Patrum & Conci-  
liorum , ut doctrinam pleniorem , quam ex  
Scripturā eruunt , comprehendendas .

Quintò : cave tamen , ne sententiarum  
fragmentis , quæ Jansenius , Marcus Anto-  
nius , aliquie congesserunt , acquiescas , vel  
interpretationi , quam dant , tam citò sub-  
scribas . Jam enim potes cernere ex dictis ,  
quantum hallucinatus sis .

Sextò : si tamen te jam satis doctum putas ,  
ut allegatis aduersum te scriptis & libellis  
respondere possis , fac id Magistraliter & Do-  
ctoraliter , respondendo ordine ad singula ;  
non verò ( uti fecisti in Apologiâ ) pertran-  
seundo plurima ; invertendo ordinem :  
singendo Franciscum Reynaeckers dixisse  
ea , quorum ne umbra quidem in ejus scrip-  
tis invenitur . Sed ità agendum tibi erat , ut  
haberes occasionem dicendi , & , quod agén-  
dum erat , occultandi .

Septimò : sequaris dictum Sapientis : Ne  
imitaris prudentia tua , cæteros contempnendō ,  
quasi verò ità abbreviata eslet manus Domini-  
ni , ut tibi soli intellectum & sapientiam ,  
tuis per te tradendam , reservasset , cæteros  
excæcasset .

Scis , quam malè præsumptio similis ces-  
serit Jansenio Iprensi , qui de seipso in dain-  
nato opere Libro premiali cap. 2. ait : unum  
erat , quod me jam inde , cum adolescentius Legamis  
in

In Collegio Adriani Sexti Pontificis Maximi, studiis Theologicis operam dabam; & cum postea studiorum causâ Gallias peritissimis antiquitatum viri lucuplotes peragrabam, non mediocriter suspensum, perplexumque derinebat. Mirabar enim vehementissime, qui fieri posset, ut Mysteria illa gratia, qua olim à Sancto Augustino, & Discipulis ejus, ipsaque Ecclesiâ Romana omnium Matre & Magistrâ tantâ certitudine, & securitate tradebantur, tantaque luce illorum calamo propalata esse, Doctorum virorum judicio, censebantur: nunc tantis tenebris immersa, & obruta delitescerent, ut innumerabilium piorum, & studiofissimorum, & acutissimorum virorum aciem inter summâ contentionem de veritate certantium, fagerent.

Peritissimi illi antiquitatum viri erant Abbas Sanzranus, eique adjuncti aliquot turbarum Gallicarum primi authores. Sed vide, quod Jansenium præcipitavit tantus cæterorum contemptus, & vana præsumptio Doctorinæ antiquitatis, nec non Augustinianæ, sic enim scripsit Tomo 3. lib. 3. cap. 21. *nullo modo Principiis Augustini consentaneum est, ut Christus Dominus vel pro infidelium in infidelitate morientium, vel pro iustorum non perseverantium aeternâ salute mortuus esse, sanguinem fudisse, semetipsum redemtionem dedisse, Patrem orasse sentiatur; scivit enim quod quisque jam ab aeterno prædestinatus erat, scivit hoc decretum neque nullius pretii oblatione imitandum esse, nec seipsum velle mutare. Ex quo factum est, ut juxta sanctissimum Doctorem, non magis Patrem pro aeternâ liberatione ipsum, quam pro Diaboli deprecatus fuerit.*

Quam

Quam sententiam antea à Patribus Anathematizatam, denuò gravissimâ censurâ novavit Innocentius X.

Bellè tu, qui ( ut intelligo ) eidem Collegio Pontificio præs sequens Jansenii vestigia, & vanâ sapientiae præsumptione, aliorumque contemptu, ejus Novitatibus alias accumulas: & specioso Sancti Caroli pallio (uti ille Augustini ) Marci Antonii, nec non Patris Gabriëlis Doctrinam reprobatam invehis, & veris Theologiæ Principiis, tuos discipulos destituis.

*Damnosa quid non imminuit dies!  
Ætas Parentum pejor avis tulit  
Indoctiores, mox daturos  
Progeniem magis imperitam,*

Nisi alios Magistros, alios Libros, alia Dictata audierint, legerint, scriperint, didicerint.

F I N I S.



## APPROBATIO.

**M**Eritò à Sapiente dictum : *ne in-*  
*nitaris prudentiæ tuæ : alibi*  
*scriptum: Discordiarum Mater Novitas:*  
*& rursùm: cum fatigatus desieris contem-*  
*nere, contemneris. Item: noli esse nimium*  
*justus. Ut ad hæc attendant Novelli*  
*Doctores, & ad Antiquam Doctri-*  
*nam Matris suæ per tot celebres Vi-*  
*ros, Adrianum VI. Godescalcum,*  
*Rosemondum, Malderum, Stapple-*  
*tonium, Wiggers, Mercerum, alios-*  
*que traditam, & quam tantopere jam*  
*impugnant, revertantur: aut saltē*  
*aliis Principiis suam stabiliant, & à*  
*conscientiarum carnificinâ, calumniis*  
*in alios, tantis suorum, sed vanis*  
*laudibus interim abstineant, Utiliter*  
*hæc expositio Lucem videbit.*

F.N.S.T. *Libr. Censor.*